INSTITUTIONES

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

NOVI FOEDERIS

AUCTORE

R. P. CLARO VASCOTTI

PERIODUS SEXTA

INSTITUTIONES
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
NOVI FOEDERIS

AD USUM SCHOLARUM SERAPHICI ORDINIS

AUCTORE

R. P. CLARO VASCOTTI

MIN. OBS. REFORM. PROVINCIAE CARNIOLAE LECTORE EMERITO
EJUSDEM HISTORIAE ECCLESIASTICAE,
ET JURIS CANONICI PROFESSORE.

PERIODUS SEXTA

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA TIBERINA
MDCCCLV.

„ Ceterum optime novit prudentia tua, unumquemque in suo sensu abundare, et puerilis esse jactantiae, quod olim adolescentuli facere consueverant, accusando illustres viros suo nomini famam quaerere. „

S. Hieronymus ep. 18.
ad Augustinum.

PRAEFATIO

Edita cura et solicitudine Rmi Patris Venantii a Coelano Ordinis Seraphici Ministri Generalis Historia Ecclesiastica Novi Foederis memorabiliores eventus ab origine Ecclesiae Christianae usque ad annum 1846 complectente, nonnulli hujus studii amatores et viva voce et datis litteris me excitarunt, ut quinque periodis jam cusis sextam adderem, quae facta et vicissitudines novissimorum temporum exhiberet. Prompta erat eorum consiliis obsequendi voluntas, ast ex una parte angustiae fontium me voto paupertatis adstrictum undique premebant, ex altera metus odium viventium in me concitandi ab improbo labore retrahebant: quas ob causas diu anceps haesi. Tandem proposui animo colligere materiam, eamque in ordinem digerere, sperans fore, ut alii me doctiores perspicacioresque temporis successu ea adjungant, quae vel oculorum meorum aciem effugerunt, vel ob fontium defectum scribere non potui, vel mihi dicere non licuit. Qualiscumque autem meus labor sit, aliud non spectavi, quam ut praesentibus et futuris Historiae Ecclesiasticae studiosis prodessem.

P. CLARUS VASCOTTI.

PERIODUS SEXTA

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

NOVI TESTAMENTI

A PIO IX. USQUE AD NOSTRAM ÆTATEM.

H. E.

AB ANNO 1846 USQUE AD ANNUM 1854.

CAPUT I.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CATHOLICAE.

§. 1. *Status civilis Europae.*

Inde ab anno 1846 rerum civilium arcus in diem magis magisque tendebatur. Sublatis per naves vaporiferas et vias ferratas distantiis, ideae libertatis, aequalitatis, fraternitatis, impietatis cum litteris, scientiis et mercibus ex una in alteram regionem praepetibus pennis volabant, et populi, praecipue homines cultiores arctioribus vinculis constringebantur. Natio gallica jam a tempore Ludovici XIV talem in reliquas Europae nationes exerit influxum, ut hae nihil aliud quam verae simiae esse videantur. Galli plerumque nullius populi linguam discunt, nullius nationis mores imitantur; aliorum contra populorum nobiliores, doctioresque Gallorum linguam callent, eorum libros avide legunt, eorumque vestigia quasi in omnibus coecutientes persequuntur ita, ut bene educatus non censeatur, qui notione linguae gallicae caret. Saeculo, quo vivimus, oculi omnium sunt in Gallos intenti, et exorto in Gallia incendio reliquae quoque Europae regiones conflagrant. In Gallia alii dimicant pro forma regiminis monarchica absoluta, alii pro temperata seu constitutionali, alii pro republicana; quamobrem conflictus frequentes, et forma mutatur prout una vel altera factio vincit. Ideae de forma regiminis temperata et republicana etiam alias nationes invaserunt ita, ut Bel-

gium, Hispania et Lusitania, ad exemplum Galliae, formam temperatam adoptaverint. Reliqui Europae populi desiderio flagrabant eam adipiscendi libertatem, qua Galli, Belgae, Hispani et Lusitani fruebantur. Celebriores scriptores cujusvis nationis dominio extraneorum subjectae tetris coloribus statum servitutis depingebant, et conterraneos inflammabant, ut turpi jugo colla eriperent. Omnia prona erant ad seditionem, quae reapse anno 1848 erupit. Motibus populorum seditiosis tota Europa, si Angliam, Belgium et Russiam excipias, fuit concussa, contremuerunt altaria, vacillarunt throni, trepidarunt principes ecclesiastici et civiles ita, ut de Ecclesia et Civitate actum esse videretur. Initium factum fuit in Gallia.

Aloysius-Philippus Aurelianensis, Gallorum rex, eadem facilitate, qua solium conscenderat, etiam ex eo descendit. Sub ejus regimine Galli consueverunt celebrare convivia, in quibus democratici agendi rationem Regis ejusque ministrorum vituperabant; quapropter Guizot, primarius aulae minister, talia convivia interdixit. Democratici ob hanc libertatis restrictionem ira accensi, facta 22, 23, 24 Februarii 1848 seditione, thronum Philippi Aurelianensis everterunt. Rex cum familia fugit in Angliam, ubi plenus dierum, et moerore confectus obiit anno 1849. Rege pulso et exauctorato operarii, qui maximam partem in seditione habuerant, proclamarunt Rempublicam, cujus primarius minister Alphonsus Lamartine, celebris poeta, annuntians mundo novam regiminis formam a Gallis adoptatam declaravit, conventionem inter praecipuos Europae principes anno 1815 Viennae in Austria initam esse abolitam, et Rempublicam Gallicanam independentiam Italiae, ejus internas reformationes, legitimosque progressus tuituram. Mense Junio 1848 *Socialistae* et *Communistae*, quorum primipili erant Prudhon, Ledru-Rollin, et Louis Blanc, tentarunt summa rerum potiri; ast belli dux Cavaignac armata manu eos debellavit. Tres belli duces, et ultra octo millia hominum in hoc bello intestino perierunt. Ipse Dionysius-Augustus Affre, Archiepiscopus Parisiensis, dum in suburbio S. Antonii conaretur suadere operariis, ut arma ponerent, globulo ignito tactus victima charitatis cecidit. Bonus Pastor dedit animam pro ovibus suis. Post victoriam de Socialistis et Communistis relatam, belli dux Cavaignac, electus fuit Reipublicae Dictator, qui eam sapientissime rexit usque ad diem decimam mensis Decembris 1848, qua Aloysius Napoleon Bonaparte, Ludovici Bonaparte olim Hollandiae regis et Hortensiae Boharnais filius, Napoleonis Magni nepos, inter 7,327,345 electores, 6,648,872 vota retulit, et Praeses Reipubblicae gallicanae ad quatuor annos designatus est. In Praesidem Reipublicae electus singulari dexteritate 2 Decembris 1851 Comitia dissolvit, praecipuos populi legatos sibi infestos, quos inter Thiers, Cavaignac, Lamorciere, Bedeau, comprehendi et carceri mancipari jussit; quo facto rem eo perduxit, ut Galli ejus principatum ad decem annos protraherent. Suprema instructus potestate, frementibus democraticis, libertatem typographiae restrinxit, censuram introduxit, varias urbes imperio militari subjecit, et Senatum creavit. Tandem Patrui sui vestigiis insistens, 2 Decembris 1852 imperatoriam assequutus est dignitatem, et 29 Januarii 1853 uxorem dùxit Eugeniam de Montijo natione hispanam. Galli omni vento doctrinae circumferuntur, et quod hodie aedificant, cras demoliuntur; etenim evigilant monarchici, assident mensae constitutionales, cubunt republicani. Perplures eorum carent principio, a quo rerum ordo pendet, et cui hominum societas, ut incolumis persistat et servetur, niti debet, deest, inquam, ipsis initium sapientiae, timor Domini. Negari nequit ab anno 1848 magicam vim, quam in reliquas nationes exerebant, valde decrevisse. Europa frequentium seditionum, volubilitatis, impietatis, immoralitatis, fallaciarum, mendaciorum, quibus ceteros populos fascinarunt, deceperunt, corruperunt pertaesa, eorum facinora execratur, quin tamen malis misceat bonos.

Ex Gallia flamma seditionis fulguris instar in imperium austriacum, Italiam, et Germaniam se diffudit. Cum Respublica Cracoviensis, ultimae regni Poloniae reliquiae, nidus esset democraticorum, qui Polonos ad recuperandam autonomiam incitabant, 9 Novembris 1846 cum imperatoris Russiae et Regis Borussiae consensu fuit abolita, et imperio austriaco adjecta. Quanto magis terrae principes democraticorum conatus deprimebant tanto plus hi excandescebant, et in thronorum eversionem conspirabant. Post gallicam seditionem Ordines Austriae inferioris, Boemi, Poloni, et Itali sceptro austriaco subjecti flagitabant, ut fraena libertati laxarentur. Ludovicus Cossut, natione hungarus, causarum patronus, eloquens, vafer exigebat, ut singulae nationes ad imperium austriacum spectantes rem publicam per se administrarent, et foedere tantum essent junctae. Interea studentes Universitatis Viennensis, exemplo studentum Bavarorum excitati, ab Aula imperiali audacter petierunt, ut principem de Metternich munere supremi status Cancellarii privaret, libertatem typographiae, et militiam nationalem daret, nec non Comitia generalia indiceret. Aula ab initio reluctabatur, postea tamen, ad evitandam sanguinis effusionem, Ferdinandus I imperator propterea *Benignus* denominatus, 13 Martii 1848 Clementem principem de Metternich dimisit, qui cum familia terga dedit, libertatem typographiae et

militiam nationalem concessit, nec non subditorum suorum legatos ad Comitia Viennae celebranda convocavit, ut novas leges rerum adjunctis accomodatas conderent, seu desideratam Constitutionem largirentur. Utut haec notitia die 18 ejusdem mensis et anni Venetias et Mediolanum pervenit, populi Venetiarum et Longobardiae tumultuantes jugum obedientiae excusserunt ita, ut Venetiis Rempublicam proclamarent, Mediolani vero, expulsis post sanguineam quinque dierum pugnam Austriacis, Regimen temporarium constituerent. Bohemi et Hungari Italorum exemplum imitati sunt. Ferdinandus I, animadvertens Viennae se haud tutum esse, OEnnipontum petiit, ubi die 2 Decembris 1848 imperio se abdicavit. Eidem successit Franciscus-Josephus, ejus e fratre nepos, juvenis duo de viginti annorum. Post aulae discessionem, Vienna in potestate studentum fuit, donec Aurrsberg, Jellacic et Windisgratz, belli duces, eam per assultum caeperunt; quo facto Comitia Vienna Cremisium in Moravia translata sunt. Cum autem major legatorum pars legislatoriam potestatem sibi adsereret, relicta imperatori auctoritate leges conditas executioni mandandi, neque essent concordes (alii systema confoederationis, alii concentrationis propugnabant) circa modum imperium administrandi, Franciscus Comes de Stadion, primarius Aulae minister, de imperatoris aliorumque ministrorum consensu, Comitia solvit, et nonnullos populi legatos, qui fugae non se dederant, in carcerem conjecit (1). Solutis Comitiis, dispersisque populi legatis, juvenis imperator 4 Martii 1849 sponte subditis suis desideratam dedit Constitutionem. Subjugata Vienna, profligatoque in duplici praelio Caroli Alberti Sardiniae Regis exercitu, Longobardi, Veneti, Bohemi, Poloni, et Hungari armata manu ad obedientiam revocati fuere; ita Monarchia Austriaca, quae defuncta videbatur, revixit. Vienna, Praga, Leopolis, Hungaria et Italia, in poenam factae seditionis imperio militari subjectae fuere.

Dato a Longobardis et Venetis signo, seditiones et tumultus eruperunt in Ducatibus Mutinensi et Parmensi, in Magno Ducatu Hetruriae, in territorio Pontificis, in regno utriusque Siciliae, in Pedemontio, et quidem tales ut nonnulli Principes fuga vitam salvaverint. Itali, prius a *Primatu civili et morali* Vincentii Gioberti fascinati, deinde a programmate Alphonsi Lamartine stimulati omnibus nervis ad unitatem et autonomiam contendebant. Ast sicut semper, ita et nunc erant garruli et inter se divisi; siquidem alii monarchiam absolu-

(*) Fugam caepere Antonius Füster, Religionis Professor in Universitate Viennensi, Löhner, medicinae doctor, et Rigger, doctor juris. Hi credebantur complices delicti commissi in ministro Latour, qui ex lampade suspensus est.

tam volebant, alii cum Vincentio Gioberti stabant pro monarchia temperata, et exigebant ut principes Italiae foedus inirent, cui Summus Pontifex praeesset, alii denique cum Josepho Mazzini pugnabant pro Republica italica, cujus caput esset Roma, adempta Papae temporali potestate. Joannes Maria e Comitibus Mastai-Ferretti ad solium S. Petri sub nomine Pii IX evectus exules patriis restituit laribus, et statum pontificium reformare coepit. Selegit 100 viros, ex quibus Senatum novem membris constantem formavit, et Status Consilium, cui Cardinalem praefecit. Ad Pontificis exemplum reliqui Italiae principes, licet inviti, subditis tumultuantibus et postulantibus ampliorem libertatis spheram concesserunt. Sic Leopoldus, Magnus Hetruriae Dux, Carolus Albertus, Sardiniae rex, et Ferdinandus, rex utriusque Siciliae, non solum novam Constitutionem, Comitia, libertatem typographiae, et militiam nationalem dederunt, verum etiam ministros liberales sibi elegerunt. Pius IX quoque, facta praevia declaratione, se in suae potestatis diminutionem nunquam consensurum esse, torrente circumstantiarum abreptus perstrepenti populo Comitia, libertatem typographiae, et militiam nationalem largitus est, et ministerium seculare instituit. Interea Carolus Albertus, Sardiniae Rex, quam Itali exultantes gladium Italiae salutabant, ambitione inflatus et desiderio ductus limites suae ditionis dilatandi, regnum Italiae superioris a Vincentio Gioberti delineatum, cujus partes esse debebant, praeter Pedemontium, Sardiniam et Sabaudiam, omnes regiones usque ad Alpes somniabat. Cum Pius IX animadvertisset, Regem Sardiniae Italiae primatum expetere, et exigere ut ceteri Italiae principes ei suppetias ferant ad expellendos Austriacos, palam fecit se non posse uni principi in aliorum detrimentum favere, seque nihil aliud fecisse, quam quod Aulae jam Gregorio XVI antecessori suo consulebant, quodque suis subditis utile judicavit, non imputandas esse populorum seditiones sibi, qui a tumultibus et bellis semper abhorruit, nec non a se repulit volentes fundare Rempublicam italicam, cui ipse praeesset. Ab hoc tempore ii, qui credebant Pium IX esse patriae suae redemptorem, ejus nomen in ore habebant, ubique locorum scribebant, ad astra efferebant, et canebant: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*, non erubuerunt impudenter clamare: *Crucifige, crucifige eum.* Carolus Albertus cum exercitu in auxilium Longobardorum venit: Leopoldus, magnus Dux Hetruriae, Ferdinandus, utriusque Siciliae rex, milites in Longobardiam miserunt, ut unitis viribus Italiam superiorem a dominio Austriacorum liberarent: milites pontificii, reluctante Papa, Padum trajecerunt: cruce signati, fex populi, undique ad

bellum perficiendum accurrebant: classis navalis neapolitana et pedemontana Tergestum, litora Histriae, et Forojulii custodiebant. Paulo post rex utriusque Siciliae, in cujus principe urbe seditio exorta fuerat, praetexens se non velle in Caroli Alberti gratiam pecuniam et sanguinem profundere, et naves et milites revocavit. Guillelmus Pepe cum 4000 armatorum Regis mandato parere recusavit, et Venetias petiit. Carolus Albertus, ab Austriacis in duplici praelio devictus, in filii sui Victoris Emmanuelis favorem regno se abdicavit, et Oportum fugit, ubi tristitia et moerore confectus fatis cessit anno 1849. Ejus exuviae Taurinum translatae, et in sepulchro familiari tumulatae fuere. Victo Carolo Alberto, subjugatis Longobardis et Venetis, sedatisque tumultibus, Italiae principes, rege Sardiniae excepto, datam Constitutionem revocarunt, et omnia ad pristinum statum redegerunt (*).

Inde ab anno 1848 Germania quoque turbis popularibus fuit continuo exagitata. Germani, non minus quam Itali, ad unitatem et autonomiam aspirabant, ut omnes Germaniae populi sub uno sceptro, unaque regiminis forma colligerentur, et 37 principatus, in quos divisa est Germania, in unum coirent. Etiam ibi sicut alibi primores erant discordes circa modum supremam exercendi potestatem, siquidem monarchici formam monarchicam absolutam, constitutionales temperatam, democratici democraticam propugnabant. Exorta anno 1848 Parisiis et Viennae seditione, etiam Germania insurrexit ita, ut de dynastis actum esse videretur. Ad tumultus populares coercendos etiam ibi undique pluebant novae Constitutiones, convocabantur Comitia, militia nationalis, et libertas typographiae concedebantur. Docti Germani et ore et calamo postulabant, ut omnes populi Germaniae unicam haberent Constitutionem, unicum vexillum tricoloratum, unicum Corpus Juris, unicam agendi rationem in rerum civilium administratione tam ad intus, quam ad extra, et unicum imperatorem, cui omnes reliqui reges et principes Germaniae essent subjecti. Die 18 Maji 1848, legati populorum germanicorum Francofordii ad Moenum in Ecclesia S. Pauli convenerunt sub praesidio Domini Gagern, ut Constitutionem uniformem universae Germaniae darent, et modum novum imperium germanicum administrandi definirent. Tyrolis italica, Forumjulium, Tergestum, Istria, Carniolia (risum tenete amici!) a fanaticis seductae legatos ad Comitia Francofordiensia miserunt, ut propria jura tuerentur. Cum neminem invenirent, cui coronam imperialem deferrent, et Rex Borussiae cunctaretur, interim Joannem Austriae Archiducem imperii Vicarium elegerunt. Francofordii populorum legati, circa multa in utramque partem disseruerunt, blaterarunt sine fine, ac tandem parturierunt montes et prodiit ridiculus mus. Cum Ecclesia S. Pauli turris Babel et discordiarum theatrum esset, legati in domum suam abierunt, et ibi mansit exiguus manipulus, quem Borussorum et Austriacorum copiae dissiparunt. Seditiones eruperunt Francofordii, in Borussia, Saxonia, Ducatu Badensi, verbo in tota Germania, et ubique terra humano sanguine fuit foedata.

(*) Cantù Storia di 100. anni vol. 2.

In Dania, Svevia et Norvegia inde ab anno 1846 nullae mutationes notatu dignae locum habuerunt.

Imperium Russorum, omnium potentissimum, in diem magis progreditur; Nicolaus imperator limites ejus dilatare conatur praecipue in partibus orientalibus, oculos in principem imperii Turcarum urbem figit, eamque avidissime cupit.

Belgae post tot conatus, bella et sanguinis effusionem ad libertatem et autonomiam assequendam, in Conventu nationali die 10 Nov. 1830 celebrato novam sibi dederunt Constitutionem, qua liberior in Europa non datur, et die 1 Junii 1831 Leopoldum e familia Saxonico-Coburgica regem suum salutarunt. Constitutioni, Regisque sapientiae et prudentiae est adscribendum, si furente ultima tempestate Belgae imperturbati persliterunt.

Anglia antiquo systemati insistens bona temporalia cumulandi etiam in aliorum populorum detrimentum, commercium, industriam, opera, res navales auget, magis ditior et potentior terra marique evadit. Ex India, ubi plures habet colonias, in terram suam ingentes opes importat. Ad lucrum faciendum alias nationes ad seditionem concitat; eisque arma venundat. Eique scopo intenta asylum praebet exulibus omnium regionum, eosque suo sinu complectitur, et fovet. Nihilominus quemadmodum Barones, mercatores et clerici, qui totius regni divitias obsorbent, rebus omnibus affluunt, ita pauperum turbae prae fame pereunt, potissimum in Hibernia. Constitutio aristocratica Angliae indigentiis haud satisfacit. Vermis paupertatis ejus viscera rodit. In pauperum levamen et emolumentum *Socialistae* et *Chartistae* societatem inierunt ad jurium aequalitatem petendam. Haec societas pauperes in suam partem trahit, ad formam democraticam tendit, et Constitutioni aristocraticae ruinam minatur (*).

Hispania, post bellum intestinum, quod longa annorum serie miseram terram devastavit, quoque sanguinem innocentem in America effusum expiavit, tandem quiescere videtur. Isabella II, Ferdinandi regis filia, quae mortuo patre solium

(*) Cantù Storia di 100 anni vol. 3. p. 200.

conscendit (Per. V. H. E. Cap. II. §. 18), victa saepius Carlistarum factione, triumphavit, et data populo nova Constitutione adhuc hodie regnat. Carolus, ejus patruus et aemulus, cum familia Tergesti vitam privatam vivit.

In Lusitania ab anno 1834 ad annum 1853, quo obiit, clavum regni tenuit Maria, filia Petri (Don Pedro), et ad ordinandas res ecclesiasticas anno 1843 cum Sede Apostolica Concordatum iniit. Eidem successit Petrus, ejus filius primogenitus. Reliqua minoris momenti sponte mittimus, ne filum orationis nimis excrescat.

§. 2. *Status litterarum.*

Saeculum XIX bonarum artium et scientiarum ferax est. Vix dici potest qualem progressum fecerint homines in arte oratoria, poesi, philosophia, mathesi, geometria, physica, astronomia, dinamica, hydrostatica, chymia, botanica, mineralogia, geologia, zoologia, embriogenia, medicina etc. Potissimum in Germania litterae et scientiae florent, et plures libri tam boni, quam mali in lucem prodeunt. Germani hodie omnes reliquas nationes in cultura intellectuali superasse dicuntur. Causae hujus praestantiae sunt naturales; etenim Germani majori loquendi et scribendi libertate gaudent; inter Catholicos et Protestantes perpetua est lucta, ex qua et illi et hi victores exire conantur; terrae principes plus ibi, quam alibi litteris et litteratis favent. Inter Germaniae principes de promotis litteris et scientiis singulariter benemeritus est Ludovicus, Bavariae rex, qui non solum viros doctos undique accivit, honoribus et stipendiis cumulavit, verum etiam ipse musis litavit. Sub ejus regimine in Bavaria plures excelluere in omni litterarum genere, potissimum in Theologia. Nota sunt nomina Mauri Schenk, Leopoldi Liebermann, Görres, Philipps etc. Postquam Ludovicus anno 1848 regno sponte se abdicavit, successit ejus filius Maximilianus, qui patris vestigia persequi videtur. A capite vita. Si caput languet, membra quoque languescunt. Austriae imperator Accademias Graecensem et Olmutiensem ad gradum Universitatum elevavit. Pius IX, Pontifex maximus, Romae fundavit Institutum pro sublimiori educatione duorum clericorum cujusvis dioecesis status pontificii.

Dolendum maximopere, philosophiam in quibusdam regionibus labe incredulitatis adhuc infectam esse. Opera Volteri, Diderotì, Dalemberti, Roussovii, Holbachii, Volney, et aliorum impiorum in manibus plurium versantur, eisque venenum propinant. Kant, Fychte, Schelling, Hegel asseclis non carent. Kant dubitavit, an aliquid realiter existat: Fychte defendit existere

το ego: Schelling docuit *το ego*, et *το non ego*, propendens magis in *το non ego*. Kant asseruit ideam semetipsam certam reddere: Fychte edixit ideam certum reddere ens; Schelling tuitus est ens producere ens. Hegel docuit ideam esse ens, et in Pantheismum lapsus est. Henricus Jacobi animadvertens, criticismum omnem supernaturalium notionem evertere, philosophiae systematicae philosophiam sensus interni et fidei opposuit. Baader, Heinroth, Eschenmayer defendunt Religionem esse nostrarum facultatum complementum, animam hominis posse notionem Dei recipere, sed non creare, revelationem divinam ad satisfaciendum humanis indigentiis necessariam fuisse.

In Gallia Bonald, editis libris materialismum Destutt de Tracy et Cabanis confutavit. Franciscus de la Mennais philosophiam cum theologia conciliaturus praetendit, philosophiam a sensu generis humani omnem evidentiam eruere; et quoniam genus humanum dogmata ab Ecclesia catholica proposita constanter credidit, hujus auctoritati, non individuae rationi acquiescendum esse. Cousin, qui venenum philosophiae Hegelianae Berolini suxit, ex aliorum philosophorum systematibus proprium composuit systema, et phoenomena conscientiae explicare nititur.

Ad saniora principia philosophiam revocare studuerunt in Italia Galluppi, Poli, Rosmini, Pestalozza. Antonius Rosmini, systemata Soave, Falletti, Draghetti, Micelli, Palmieri, aliorumque oppugnat, et ostendit opus esse admittere ideam ingenitam possibilitatis entis, quae sensationis juncta alias producit. Vincentius Gioberti methodo psychologicae ontologicam Leibnitii, Malebranchii, Vici substituit. Ejus principium ontologicum est: *Ens creat subsistentiam.* Primum est *realitas*, secundum *contingens*, et vinculum inter utrumque *creatio*, actus positivus et realis, sed liber; tres realitates a spiritu nostro independentes. Inde deducit philosophiam, quae ad ens, existentiam, et copulam spectat. Philosophiam sequitur theologia revelata, in qua ens redimit existentiam. Gioberti in suis scriptis non solum materialistis et Pantheistis bellum indixit, verum etiam omnes errores Cousin indicavit, et confutavit (*).

Ex studiis rerum naturalium magna emolumenta in Theologiam redundarunt, siquidem Historia Mosaica magis magisque fuit confirmata. Viri eruditi et cordati oculos ad monumenta medii aevi converterunt, eaque e tenebris in lucem traxerunt, atque historiam illius temporis neglectam illustrarunt. In Gallia

(*) Matthaeus Liberatore, Societatis Jesu, in suis Elementis philosophiae cap. 4. art. 5. p. 257. dicit, systema Vincentii Gioberti sapere nunc Spinoza, nnnc Fycthe, nunc Schelling, nunc Hegel. Eidem auctori neque systema Antonii Rosmini arridet.

Didon, Gaume, Caillon, Migne, editis SS. Patrum, aliorumque celeberrimorum Scriptorum ecclesiasticorum operibus, Clerum ad studium Patristicae excitarunt. Ab anno 1848 litterarum studia non multum profecisse nemo mirabitur, qui in memoriam revocaverit inter arma musas silere.

§. 3. *Propagatio Religionis catholicae in Europa. In Anglia, Scotia et Hibernia.*

Jam Per. V. Cap. VI. §. 32. p. 477. H. E. diximus, sectam Puseistarum in Anglia latam aperire portam Religioni catholicae, et spes nos non fefellit; nam Puseistae ad gremium Ecclesiae catholicae redeunt. Anno 1845 catholici Angliae zelo religionis propagandae inflammati miserunt in Galliam eruditum Viseman, Episcopum Mellipotamosianum, nunc Romanae Ecclesiae Cardinalem, ut Episcopos illius regionis moveret ad publicas preces indicendas pro conversione Anglorum schismati et haeresi inhaerentium. Antistites Galli annuerunt, et dives in misericordia Deus fidelium preces ita exaudivit, ut plures Angli gratiam conversionis obtinuerint. Eodem anno 1845 sexaginta Doctores Universitatum Oxoniensis et Cantabrigensis, Ecclesiae Anglicanae ministri schisma et haeresim abjurarunt. Horum exemplum anno sequenti 1846 imitati sunt perplures alii illustres et docti viri, quos inter memoratu dignissimi sunt Doctor Neuman, praecipuum Puseismi fulcrum, professor theologiae in Universitate Oxoniensi, et parochus S. Mariae Oxonii, Oakeley, canonicus Lichenfieldensis et praedicator in capella regali Vitenhallensi, Faber, rector Estoniensis, Marchall, curator animarum, Astor Coffin, parochus ad S. Mariam Magdalenam Oxonii, Georgius Talbot, pastor animarum in Averererak et Casterblada, Formby parochus ad Ruerdaen, Sanger et Moris, adjutores Doctoris Pusey in tradenda lingua hebraica, Guillelmus Wingfield, doctor theologiae et medicinae, pastor Londinensis, et filius Canonici Ecclesiae Metropolitanae Londinensis, ejusque uxor, qui etiam pios libros, et praesertim vitas Sanctorum ediderunt. Inter ceteras conversiones illa Doctoris Neuman animos Protestantium quam maxime perculit; ideo non erit abs re eam uberius exponere. Neuman pertaesus persecutionis, quam professores Universitatis Oxoniensis, et potissimum Rectores Collegiorum contra eum moverunt, jam beneficium resignaverat. Paulo post Oxonium deseruit, et ad suum praedium non procul ab urbe Littlemore se retraxit. In hoc recessu, caterva doctorum et studentum Universitatis Oxoniensis, qui ad eum confluebant, stipatus, et copiosa bibliotheca instructus, serio cogitabat de mediis Ecclesiam Anglicanam reformandi. Adversarii ejus domum nominabant monasterium, quia vitam coelibem et auste-

ram vivebat, nec non totum tempus orationibus et studiis consecrabat. Interim Archisodalitas Parisiensis immaculati Cordis B. V. Mariae, totaque Ecclesia catholica pro Anglorum conversione fervidas preces ad Deum fundebat. Nonnulli commilitonum ejus jam errores abjuraverant, quos inter Delgairus, Aston Hall, Saint-John. Doctor Neuman quoque decreverat ad sinum Ecclesiae Catholicae transire, sed conversionem suam ad ultimam diem anni differebat, qua sperabat se finem impositurum operi, cui titulus: « Reditus ad Ecclesiam Catholicam ». Delgairus, pridem ad Religionem catholicam conversus, litteras scripsit ad Patrem Dominicum Ordinis Passionistarum ministrum Provincialem in Anglia, eumque rogavit ut Oxonium se conferret. Pater Dominicus praevidens multam messem sibi parari, incunctanter itineri se dedit, et 6 Octobris 1846 hora decima vespertina ob ingruentem pluviam madefactus Oxonium pervenit, ubi Delgarius et Saint-John eum certiorem reddiderunt, Doctorem Neuman, eorum magistrum et amicum, velle Religionem Catholicam amplecti. Deductus ad praedium Doctoris Neuman, hic in genua provolutus petiit a Patre Dominico, ut ei benedictionem impertiret, confessionem peccatorum exciperet, et eum ab excommunicatione absolveret. Pater Dominicus summo perfusus gaudio et in lacrymas solutus gratias egit Deo, et pium neophytum in Ecclesiae catholicae communionem suscepit. Sequenti die audivit confessionem peccatorum Bowler et Stanton Diaconorum Ecclesiae Anglicanae, qui schismati et haeresi terga dederant, hora decima divina mysteria celebravit, et pane eucharistico refecit Neuman, Delgairum, Saint-John, Bowler et Stanton. Eodem die tota familia Domini Voodmason coram Patre Dominico fidei professionem emisit. Doctor Neuman, post suam conversionem, Luthetias Parisiorum petiit, ut in templo B. V. Mariae a Victoriis ad aram Cordi ejus immaculato dicatam imaginem Matris Dei veneraretur, eidemque filialis amoris et gratitudinis sensa exhiberet. Inde profectus est Romam, ubi Theologiae Catholicae operam navavit. Mense Junio an. 1847 ad dignitatem Presbyteri elevatus Congregationem Patrum Oratori ingressus est. Theologicis disciplinis imbutus et presbyteri dignitate auctus reversus est in Angliam, ubi ore et calamo Religionem Catholicam tuetur et propagat (*). Praefatorum exemplum imitati sunt perplures alii, quibus Dei benedictio non defuit. Sic ab anno 1847 ad annum 1851 in Anglia a schismate ad castra Catholicorum transierunt 165 personae illustres, quos inter celebriores sunt Spener, Fielding,

(*) Annales de l'Archiconfrérie, VI. Bulletin Fevrier 1847.

Wilberforce, Anderson, Jocey, Faber, Hope, Freser, Hataway, Torquay, Seraton, Andrey etc. Anno 1851 suavi Religionis catholicae jugo colla submiserunt 213 pastores Anglicani, qui beneficia amiserunt, ut Christum lucrifacerent. Praeter hos etiam alii memorari merentur, qui a schismate ad Ecclesiae catholicae unitatem redierunt, uti Bedford curator animarum in Hogoton, Dedsworth, amicus Episcopi Londinensis et pastor, Harpes parochus ad S. Petrum, Vele Capellanus, Manning archidiaconus, Saprimendaye beneficiarius, Towry Lawry, frater Baronis Ellenborough, Orr et Woodward Ecclesiae Anglicanae ministri, Hope Reginae consiliarius, Baro Nigel Kennedy frater marchionis d'Aisle, Baro Naury, et plures nobiles mulieres. Liedii anno 1852 a Puseismo ad Religionem Catholicam venerunt parochus S. Salvatoris, duo Capellani, quatuor clerici, rectrix Orphanotrophii cum omnibus feminis sibi subjectis. Anno 1780 erant in Anglia 359 Sacerdotes Catholici; nunc extant ultra 710 sive Ecclesiae sive Capellae, 11 Collegia, 17 domus religiosae, 62 Conventus, 1039 presbyteri partim saeculares, partim regulares, et vigesies centena millia Catholicorum. Inde luculenter patet, Religionem Catholicam in Anglia limites sui dominii extendere. Ad Anglos de veracitate Religionis Catholicae convincendos multum conferunt libelli, qui in lucem prodeunt, et quorum unus in fronte gerit titulum: « Media a S. Gregorio M. adhibita pro obtinenda Angliae conversione ad fidem catholicam: media ab Henrico VIII adhibita ad Angliam Protestantismo subjiciendam. »

In Scotia anno 1829 erant 51 Ecclesiae Catholicae; hodie sunt 100 partim Ecclesiae, partim Capellae, 40 Stationes, in quibus divina mysteria celebrantur, unum Collegium, quatuor Conventus, nempe S. Margarithae Edemburgi, boni Pastoris, Sororum misericordiae, et Immaculatae Conceptionis, 5 Episcopi, 100 Presbyteri, et 1,500,000 Catholicorum. Collegia extera, uti Scotense, Romanum, Parisiense, S. Ambrosii Valladolidi, et S. Jacobi Ratisbonae apostolicos operarios subministrant. Religionem Catholicam defendunt et propagant Societas catholica Edemburgi fundata, et variae ephemerides, v. g. The Catholic Reviees, The Catholic Magazin, The Penny orthodox Journal (*).

Jam praeterita Periodo commemoravimus de virtute Danielis O'Connel, qui sudavit et alsit, persecutiones et vincula sustinuit pro Ecclesiae Catholicae libertate et jurium civilium restitutione in Hibernia patria sua, quam ob rem glorioso Libe-

(*) London Morning Advertiser; Clero Cattolico Anno III.

ratoris nomine fuit insignitus. Causarum patronus, orator eximius et animis commovendis aptissimus, magnanimus, vitae intemeratae, profundae doctrinae, Religioni Catholicae addictissimus, talem nactus est populi fiduciam, ut plura centena millia Catholicorum ab ejus labiis penderent, et ipsi veritatis catholicae hostes in admirationem raperentur. Ille instituit Societatem Catholicorum, quae habet magistratus, thesaurum, ephemerides, et acta regiminis britanici ad trutinam revocat. Tres particulares Congregationes dirigunt negotia, percipiunt tributa, audiunt lamenta et vota Hibernorum, atque ad Reginam mittunt. Per octo lustra Catholici Hiberni in nomine Dei, justitiae et humanitatis a Regimine politico Angliae flagitabant jura divina et humana, quin in tumultus et seditiones prorumperent. Regimen politicum restitit, quantum potuit; tandem, cum ipsi Anglicani Oratores vocem naturae audirent, et in Catholicorum favorem perorarent, cessit. Daniel O'Connel fuit primus legatus catholicus ex Hibernia ad Comitia missus, in quibus sonora ejus vox continuo tonabat contra injustam agendi rationem Regiminis politici intuitu Catholicorum. Suis orationibus obtinuit abolitionem legis, qua omnes Catholici a Comitiis et publicis muneribus excludebantur, plenam libertatem cultum Religionis exercendi, et emancipationem Catholicorum ita, ut Ecclesia Catholica in Anglia, Scotia et Hibernia sit libera et Anglicanae in omnibus aequiparata. Dolendum et nunquam satis deplorandum, quod tam fortis athleta et insignis Religionis Catholicae defensor, desiderio ductus pedem Pii IX osculandi, in itenere Romam versus Genuae anno 1847 ad praemia laborum suorum evolaverit. Ejus cor fuit humo mandatum Romae, exuviae vero in Hiberniam translatae (*a*). Pater Joachimus Ventura Ordinis Theatinorum panegyrim dixit, quae in omnes linguas fuit versa, et in qua demonstravit, Danielem O'Connel usum fuisse Religione ad promovendam libertatem, et libertate ad fovendam Religionem. Ejus filius patris vestigia persequitur, quamvis patre sit inferior. Ab eo tempore, quo Ecclesia Catholica in Hibernia libertatem nacta est, ejus limites in diem dilatantur; etenim permulti ad ejus sinum redeunt, novi Episcopatus, nova templa, novaque Seminaria eriguntur. Impraesentiarum sunt in Hibernia 7,000,000 Catholicorum, quatuor Archiepiscopi, et viginti duo Episcopi. Celebris de Maistre vaticinatus est sub finem saeculi XIX canendum esse Sacrum in Ecclesia S. Pauli Londini. Spes affulget, ut hoc vaticinium impleatur (*b*).

(*a*) Coadjutores Danielis O'Connel erant Doctor Doyle, B. Kilder, presbiter et professor in Collegio Carlovensi, Thomas Kolly, Primas Hiberniae, et Thomas Moore.
(*b*) Cesare Cantù Storia di 100 anni Vol. 3. p. 178.

§. 4. *Propagatio Religionis Catholicae in Germania.*

In Germania Protestantismus spiritui hominum privato relictus in putum degeneravit rationalismum ita, ut Doctores Protestantes omnia miracula naturaliter exponant, nullam veritatem supernaturalem, nullumque mysterium rationi humanae impervium admittant. Doctores inter se discrepant, suntque in varias opiniones divisi, et quod unus affirmat, alter negat. Regnum in se divisum, ait mundi Salvator, desolabitur. Celebrant quidem Synodos, novas condunt fidei formulas ad unitatem in Religione conservandam, sed perperam; nam ubi cuilibet integrum est sacram Scripturam interpretari, ubi nulla est infallibilis auctoritas, quae dubia resolvat, controversias dirimat, fidei et morum veritates definiat et hominibus ad credendum proponat, ibi unitas in fide esse nequit. Interminatus opinionum religiosarum conflictus, perpetua doctorum in rebus ad salutem animarum spectantibus fluctuatio, Religioni Catholicae non potest non prodesse. Reapse plures incredulitatis non minus quam instabilitatis suorum doctorum pertaesi vexilla Lutheri et Calvini deserunt, et ad castra Catholicorum transeunt. Anno 1851 tam Berolini, quam in aliis Germaniae urbibus omnis sexus et conditionis homines, quos inter etiam nonnulli viri illustres, haeresim abjurarunt, et professionem fidei catholicae emiserunt (*).

§. 5. *Propagatio Religionis Catholicae extra Europam. In Oriente.*

Anno 1850 Adanae in Asia minori 150 familiae Armenorum schismaticorum ad gremium S. matris Ecclesiae Catholicae redierunt, et declararunt se non velle alios Sacerdotes, quam Patres Franciscanos Hierapoli commorantes, qui cultum Religionis exerceant, et saluti animarum suarum consulant. Eodem anno in pago Gölkozosy 100 familiae Armenorum schisma abjurarunt, et in communionem Ecclesiae Catholicae receptae fuerunt. Muratigiae pariter permulti Armeni schismatici Romano Pontifici se subjecerunt. Cura et solicitudine Gregorii Bohodur Episcopi Bursensis, et Antonii Hossum Archiepiscopi et Primatis Armenorum Constantinopoli residentis fuerunt illuc missi Sacerdotes idonei, ut conversos in Religione Catholica solide instituant, et ab injustis aggressionibus Patriarchae schismatici tueantur. Anno 1852 Pius IX, Pontifex Maximus, certior factus de fidei propagatione in vasta provincia constantinopolitana, quinque erexit Episcopatus ritus armeni, ut greges sint provisi de pastoribus, qui oves Christi pabulo doctrinae coelestis pascant, adversus lupos rapaces defendant, et veritatem evangelicam in Asia diffundere studeant (*a*).

(*) Ephemerides germanicae.

§. 6. *In Africa.*

Jam anno 1831 Christiani europaei penetrarunt in Abyssiniam. Doctor Rappal cum 200 viris armatis et 40 camelis profectus est in Abyssiniam, ubi reperiit homines Arabibus similes, qui quotannis 30 festa, et 200 jejunia celebrant, sed a laboribus abhorrent; quare Mahomedani, Graeci et Ægyptii artes et opificia exercent. Inter eos, qui fortior est, dominatur. Ab anno 1778 usque ad annum 1832 fecerunt 22 seditiones, et expulerunt 14 principes. Krapf, missionarius germanus, illa in regione semen verbi divini sparsit, nonnullos incolas Christo lucrifecit, et Europeis notitiam illius terrae dedit, secundum quam Zimerman partem superiorem Nili delineavit. Teste Patre Caesare de Castro Francorum Capucino, qui anno 1848 ex urbe Gondar litteras misit ad Patrem Guidonem a Busseto Ordinis Capucinorum ministrum generalem, in Abyssinia incolae erroribus *Traductianorum, Eutichianorum* et *Pelagianorum* infecti sunt. Dividuntur in tres classes, nimirum *Teovardorum, Kabatianorum*, et *Karrajanorum*. Teovardani Christum qua Deum et qua hominem, per baptismum in Jordane susceptum, natum fuisse affirmant. Kabatiani admittunt duas Christi nativitates, quarum unam Spiritui Sancto adscribunt. Karrajani quoque duas Christi nativitates profitentur hoc tamen discrimine, quod hi non ad Spiritus Sancti operationem, sed ad Dei voluntatem tam divinam, quam humanam nativitatem referant. Cetera sunt nomine Christiani, religione Scribae et Pharisaei, moribus Musulmani, superstitione Gentiles, verbo homines rudes, sensuales, dissoluti. Abba Salemo, eorum Episcopus, magistratibus civilibus non solum est invisus, verum etiam exosus, quia ambitione ad regiam aspirat dignitatem. In Abyssinia et Aethiopia, praeter Patres Capucinos aliosque missionarios, etiam Lazaristae student verbi divini praedicatione et bonis operibus illos populos illuminare et ad veram Christi Religionem perducere. Benedictio quidem Dei Evangelii praeconibus non deest, sed ob duram incolarum cervicem conversiones lente procedunt (*b*).

Ignatius Knoblecher, e Corniolia oriundus, variarum linguarum gnarus, ingenii acumine praeditus, qualitatibus ad prae-

(*a*) Clero Cattolico Anno III, N. 4.

(*b*) Lettera del P. Cesare da Castelfranco al P. Guidone da Busseto, Gondar 18 maggio 1848.

dicandum inter infideles exornatus, absoluto Romae in Collegio de Propaganda Fide studiorum curriculo, laurea doctoris insignitus, omnibusque necessariis provisus profectus est in Africam, ubi cum successu Evangelium Jesu Christi praedicavit, et plures incolas sacro regenerationis lavacro abluit. Ignatius Knoblecher, anno 1851 in Europam reversus, solum natale et Viennam petiit, ut ornamenta ecclesiastica pro Ecclesia Africae, pecuniam et missionarios colligeret. Viennae precibus impetravit, ut ex fundo redemptionis captivorum quotannis summa 1000 florenorum subministraretur Hospitio Kartumiano pro sustentatione parvulorum nigrorum ibi collectorum. Franciscus Josephus, Austriae imperator, donavit ei plura objecta, inter quae commemorari merentur duae cimbae ad navigandum Nilum, et typographia cum characteribus africanis. Idem imperator suadente Doctore Knoblecher, in Coham fundavit Consulatum ad protegendos missionarios catholicos ab injuriis Africanorum. Knoblecher Vienna se contulit Romam, ubi summus Pontifex Pius IX eum elevavit ad dignitatem Vicarii Generalis Africae centralis, eidemque dono dedit Calicem et Ostensorium ex auro. Cum Romae moraretur litteras misit ad Abatissam Sororum Cordis Jesu Parisiis residentem, eamque enixe rogavit, ut Sororibus volentibus licentiam daret in Africam proficiscendi ad puellas illius regionis educandas. Abatissa votis Missionarii annuit, et ex Monasterio Romano quaedam Sorores Cordis Jesu in navigio iverunt in Africam, ut puellarum educationi operam darent, easque cum in Religione Catholica, tum in laboribus domesticis instituerent. Utut ad suam stationem pervenit Ignatius Knoblecher, anno 1852 Monasteria pro Sororibus Cordis Jesu excitavit. Eum sequuti sunt nonnulli Clerici tam saeculares, quam regulares, et hos inter sex Presbyteri dioecesis Labacensis, qui nunc in vinea Domini laborant, et limites regni Jesu Christi illis in regionibus dilatant.

Nicolaus Mazza, presbyter et in Seminario Veronensi Theologiae professor, Veronae fundavit Institutum pro educandis pauperibus, quos natura talentis ditavit. Horum unus, Vinco nomine, Sacerdos ordinatus in Africam profectus est Evangelium Jesu Christi propagaturus. Ex Nubia litteras misit ad Nicolaum Mazza, quibus significavit messem quidem multam, sed operarios paucos esse; quare Mazza petiit a Vinco, ut Veronam mitteret septem juvenes indigenos, a quibus Sacerdotes et Magistrae puellarum sui Instituti linguam discerent, et postea in Africam se conferrent non solum ad Evangelium praedicandum, verum etiam ad homines utriusque sexus in doctrina Religionis catholicae et laboribus erudiendos. Mediante Vinco

Nicolaus Mazza cum reliquis Africae Missionariis commercium litterarum aperuit, et consilium coepit fundandi in Africa coloniam presbyterorum sui Instituti ut emant puellas, easque ad Institutum Veronense mittant. Hae puellae baptizatae, Religione Jesu Christi imbutae et educatae patrios repetunt lares, ubi sub directione ac tutela Missionariorum aperiunt scholas, puellas erudiunt, et dum occasio se praebet matrimonium ineunt cum indigenis ad sanctificandos viros infideles. Hae puellae, Religioni catholicae addictae, sunt modicum fermentum in massa farinae, cui Deus suo tempore incrementum dabit (*a*).

Occupata anno 1830 a Gallis Algeria, Bey Tunetanus Regimini gallicano cessit terram, in qua obiit S. Ludovicus IX, qui ad liberanda loca sacra expeditionem cruciatam susceperat. Recentioribus temporibus Galli, ad perpetuam rei memoriam, in honorem S. Ludovici erexerunt Capellam, cui nomen Carthaginis imposuerunt, quia ibi famosa Carthago extitit. A tempore immemoriali cura Evangelium praedicandi in illa regione commissa est Patribus Capucinis, qui Praefecto Apostolico ejusdem Ordinis subsunt. Galli a Sede Apostolica impetrarunt, ut Praefectura ad gradum Vicariatus elevaretur. Summus Pontifex Rosaliae in territorio Tunetano erexit Episcopatum, ad quem promotus fuit Dominus Sutter. Adest igitur etiam ibi Antistes, qui Ecclesiam collectam pascit, regit, et gubernat (*b*).

§. 7. *In India.*

Notum est S. Franciscum Xaverium, Indorum Apostolum, anno 1548 baptizasse Regem in Insula Ceylana, quae tardius Episcopi Cochinensis jurisdictioni fuit subjecta. Ibi saeculo XVII Franciscani et Jesuitae tali cum successu Evangelium Jesu Christi praedicarunt, ut permulti Sacramentum baptismatis susceperint. (Per. V. H. E. Cap. I. §. 3. p. 386). Ex epistola P. Horatii Episcopi Toronensis anno 1850 scripta patet, Religionem catholicam in Insula Ceylana rapidos progressus facere. Missionarii ibidem commorantes viginti dierum spatio 500 gentiles aquis baptismatis regenerarunt; perplures erant catechumeni, qui instituebantur in doctrina Religionis, et ad suscipiendum regenerationis lavacrum praeparabantur. In quodam Insulae pago, ubi omnes incolae cultui idolorum erant dediti, Missionarii Sacramentum baptismi administrarunt viginti hominibus, eorumque praefecto professione medico, qui suo exemplo et auctoritate alios quoque incolas ad Christi fi-

(*a*) Clero Cattolico Anno III. (*b*) Courrier de Lyon.

dem perduxit. Inter missionarios, qui indefessi verbum Dei in Insula Ceylana praedicant, eminent Cassinelli, Mola, Vistarini, Longobardi. Pius IX, edita Bulla, totam Insulam in duos Vicariatus Apostolicos divisit, et Vicario Apostolico partis meridionalis dedit Coadjutorem, ut facilius et commodius saluti animarum sibi commissarum consulere possit. Praefatus P. Horatius Episcopus Toronensis praeest Vicariatui septentrionali, et habet sub se quindecim Missionarios Europaeos, quos inter sunt duo hispani. Anno 1851 Societas Missionum Longobarda alios praecones Evangelii in Insulam Ceylanam misit, ubi, juxta recentiores notitias, sunt 200,000 Catholicorum et 40 Sacerdotes, qui jurisdictioni duorum Vicariorum Apostolicorum subsunt. In urbe principe Columbo 16,000, et Nagambi 30000 incolarum Religionem catholicam profitentur. Patres Bux et Schwenmackers, Societatis Jesu, felici cum exitu praedicant Evangelium, credentes in Christum aqua salutari abluunt, proles gentilium educant, easque ad baptismum suscipiendum disponunt (*a*).

In India Orientali Nayret, Episcopus Olanensis et Vicarius Apostolicus Visigapatanus, anno 1852 in suam dioecesim admisit Monachos et Moniales, ut in vinea Domini laborent, praedicationi verbi divini, Sacramentorum administrationi, et educationi prolium utriusque sexus vacent (*b*).

§. 8. *In Sina.*

Anno 1847 in Sina abrogatae fuere leges, quae magistratibus civilibus praescribebant, ut in toto imperio coelesti Religionem Christianam persequerentur. Itaque post tot atrocissimas persecutiones, in quibus plures Missionarii ad supplicia tracti innocuum pro Christo cruorem fuderunt, Christiani in Sina pace frui coeperunt, et facultatem nacti sunt cultum Religionis exercendi, et templa extruendi. De Besi, Antistes catholicus, habita a Magno Mandarino licentia in urbe Sangai publice et solemniter benedixit et posuit primum lapidem magnifici et pulcherrimi templi, quod Christifideles, collata pecunia, erexerunt; magnus vero Mandarinus eo misit milites, ut Catholici in hac coeremonia a Sinensibus gentilibus non turbarentur. Hinc liquet impraesentiarum Regimen politicum in imperio Sinensi Catholicis haud esse infestum. Quamquam longa annorum serie persecutores in Catholicos saevierint, eorum aedes sacras demoliti fuerint, et Missionarios supplicio affecerint, quos inter memoratu digniores sunt Petrus Torret, et

(*a*) Lettre du Réver. Pére de Smet; S. François-de-Hieronymo parmi les Osages, 1 Jun. 1850. (*b*) Clero Cattolico Anno III, num. 41.

Joannes Gabriel Perboyre: nihilominus sunt in imperio Sinensi 13 Episcopi, 170 Presbyteri, et 600,000 Catholicorum, qui, etsi divitiis non affluant, recentioribus temporibus in Insula Hongkong Ecclesiam aedificarunt, ad quam Episcopus misit Sacerdotes diversarum nationum, ut illius populi indigentiis satisfacere possint. Inter reliquos Episcopatus et Vicariatus Apostolicos in Sina existentes memorari merentur Episcopatus Peckinensis, Nankinensis, Macaoensis, et Vicariatus Fokiengensis, Chan-Siensis, et Jua-Jaensis (*a*).

§. 9. *In America.*

In America, ubi Missionarii saeculares et regulares zelo Religionis catholicae propagandae inflammati plantant, rigant, et Deus incrementum dat, plurimi ex gentilibus et aliis sectis ad castra Catholicorum transeunt. Anno 1849 Ecclaston, Archiepiscopus Nova-Eboracensis (Ney-Jork) in sua Ecclesia Cathedrali solemni pompa Sacramentum Confirmationis administravit 45 adultis diversi sexus et conditionis, quos inter notatu digni sunt Joannes Whits methodista, et Josephus Mone dux navis americanae. In eadem urbe Catholici novum templum excitarunt, quod S. Birgittae fuit dedicatum. In urbe Luisiana Antistes in festo omnium Sanctorum novam Capellam B. V. Mariae Septem Dolorum dicatam consecravit (*b*). Anno 1851, duce Patre Zepherino Muzzani, qui ex America in Europam venit, ut operarios colligeret, sexdecim juvenes Sacerdotes ex Ordine Minorum Observantium Genuae navim conscenderunt, et itinere maritimo in Peruviam se contulerunt, ut ceteris Fratribus societatem jungerent, et infideles ad Catholicam Religionem perducerent (*c*). In provincia Baltimorensi sunt septem dioeceses (Baltimor, Philadelphia, Charleston, Richmond, Pitteburg, Wheeling, et Sevenal), 349 Ecclesiae, 293 Sacerdotes, 167 Alumni in Seminariis, 13 Confraternitates hominum, 15 Confraternitates mulierum, 25 scholae, 38 Instituta pia, et 337,000 Catholici. In provincia Neo-Eboracensi extant quinque Episcopatus, nimirum Neo-Eboracensis, Bostonensis, Albanensis, Buffalonensis, et Hortfordiensis, 273 Ecclesiae, 298 Sacerdotes, 60 alumni in Seminario, 3 Confraternitates virorum, 5 Confraternitates mulierum, 13 scholae, 25 Instituta pia, et 515,000 fideles. In provincia Neo-Aurelianensi reperiuntur quinque dioeceses (Nova-Orleans, Netchez-Little-Rock, Mobile, Gaveston), 223 Ecclesiae, 139 Sacerdotes, 18 Alumni in Seminario, 3 Confraternitates hominum, 11 Confraternitates foeminarum, 25 scholae, 12 pia Insti-

(*a*) Clero Cattolico Anno I, num. 1. 1850.
(*b*) Catholic Stendard num. 12. (*c*) Clero Cattolico Anno III, num. 21.

tuta, 272,000 Catholici. In provincia Cincinnatensi sunt quinque Sedes episcopales (Cincinnate, Louisville, Detroit, Vincennes, Claveland), 414 Ecclesiae, 243 Sacerdotes, 42 alumni in Seminario, 8 Confraternitates virorum, 12 Confraternitates mulierum, 17 pia Instituta, et 285,000 hominum, qui fidem catholicam profitentur. In provincia Oragon-City sunt septem Episcopatus (Oragon-City, Nosquelly, Valle-Valla, Fort-Hell, Calville, Monterey, Col), 93 Ecclesiae, 95 Sacerdotes, 2 Confraternitates mulierum, et tres Scholae. In novo Mexico, et in territorio Indorum fuerunt fundati nonnulli Vicariatus Apostolici. Juxta recentiorem computationem sunt in America 34 Episcopatus et duo Vicariatus Apostolici, 1832 Ecclesiae, 1302 Sacerdotes, 34 Confraternitates hominum, 66 Confraternitates mulierum, 194 Scholae, 108 pia Instituta. In America septentrionali Jesuitae impraesentiarum 17 Collegia habent.

Episcopi Americae, secundum praescriptum Concilii Tridentini Sess. 24, C. 2, de ref. omni triennio celebrant Synodum provincialem, in qua negotia suarum dioecesium tractant, et de erectione novorum Episcopatuum agunt. Sic jam anno 1849, cum supremo Ecclesiae Pastoris consensu, in America Septentrionali fuerunt erecti 3 Archiepiscopatus, nimirum Baltimori, S. Aloysii, et Oragon-City, et 23 Episcopatus. Anno 1852 in America Septentrionali fuit celebrata Synodus nationalis, ad quam comparuerunt Franciscus Patritius Kenrich, Sedis Apostolicae delegatus, 6 Archiepiscopi, 27 Episcopi, 12 Superiores Ordinum Religiosorum, 24 Theologi, et circa 100 Sacerdotes secundi ordinis, et cui praesiderunt Sedis Apostolicae legatus et Archiepiscopus Baltimorensis. Haec Synodus nationalis Romano Pontifici proposuit, ut novae sedes Episcopales erigantur, Newerk et Brooklyn ab Archidioecesi Neo-Eboracensi separentur et ad dignitatem Ecclesiarum Cathedralium eleventur, et duo Vicariatus Apostolici in Florida et territorio Indiano instituantur. In Mexico, praeter Archiepiscopatum Mexicanum, extant 12 Episcopatus, in quibus 10,000 clerici saluti animarum, et fidei propagationi prospiciunt. Anno 1851 Pius IX in Mexico erexit Nunciaturam, illucque ceu Sedis Apostolicae legatum misit quendam Clementi Episcopum Maceratensem. In America centrali Archiepiscopatus Comojanus, nec non Nicaraguanus numerant bis centena millia subditorum. In nova California militant sub signis Religionis catholicae 20,000 hominum, quibus praeest B. Odin Vicarius Apostolicus. Hic a longo tempore insistit, ut Respublica Ecclesias ab Hispanis aedificatas Catholicis restituat (*).

(*) Clero Cattolico Anno III, num. 14 et 24 ; Alzog H. E. p. 1038-1039. Relazione della Fondazione Leopoldina.

§. 10. *In Australia.*

Jam narravimus (Per. V. H. E. cap. 1. §. 10. p. 393), Gallos sub Rege Philippo anno 1832 in Australiam penetrasse, et Missionarios, praecipue Caret et Laval, Summum Sacerdotem, Regem, primores populi, et plures alios omnis aetatis, sexus et conditionis a cultu idolorum ad sacra christiana perduxisse. In Australia fuit erectus Archiepiscopatus Manilae, et tres Episcopatus, nimirum Caceres, Caber, et Novae-Sagoviae, in quibus operarii evangelici in vinea Domini sedulo laborant. Sunt etiam praecones veritatis in Nova Hollandia, Bandimeslandia, et Insula Norfolckiensi, ubi jam anno 1835 Sidney Vicariatus Apostolicus erectus fuit. Quia vero opera Sacerdotis Ullathorne Catholicorum numerus mirum in modum crevit, Summus Pontifex urbem Sidney ad dignitatem Metropolis ecclesiasticae, Ullathorne vero in praemium meritorum suorum ad gradum Archiepiscopi elevavit, ejusque jurisdictioni Episcopos Australiae meridionalis, nempe Adelaidensem, Bandiemensladensinensem, et Hobertonensem subjecit. In reliquis Oceaniae Insulis Vicariatus Apostolicus anno 1833 institutus fidei catholicae propagationem curat. In Mangareva, Akena, Akamarn et Tarnvai semen verbi divini spargit Societas Presbyterorum a Picpus fundata, et spes affulget ut lux vera totam illam terram illuminet. Anno 1848, extincto seditionis igne, decem mille Galli perduelles in Australiam deportati fuere ; qua occasione etiam nonnulli Sacerdotes illuc se contulerunt, ut hisce miseris opem ferrent, et Jesu Christi Religionem propagarent. Sicut fides decrescit in Europa, ita in aliis mundi partibus crescit. Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum. Dolendum quod Missionarii Catholici in praedicatione Evangelii multa obstacula ab haereticis, praecipue a Methodistis sibi posita superare, et continuam cum ipsis luctam sustinere debeant; sed haec certamina Ecclesiae catholicae novos triumphos parant (*).

§. 11. *Instituta ad Religionem Catholicam propagandam.*

Zelus propagandi Religionem catholicam inter infideles increvit tempore Pseudoreformationis sacrorum ita, ut Ecclesia Jesu Christi conversione infidelium jacturam fidelium resarciverit. Clerici tam saeculares, quam regulares, superatis innumerabilibus obstaculis, in remotissimas profecti sunt regiones Orientis, Africae, Sinae, Indiarum, Americae et Australiae, ut

(*) Alzog Hist. Eccl.

barbaris Jesum Christum praedicarent, et ignem charitatis christianae accenderent; et quamvis ubique gentium collegerint coetus, erexerint templa, constituerint pastores, nihilominus messis est adhuc multa. Referunt in toto terrarum orbe esse 4,000,000 Judaeorum, 377,000,000 Paganorum, 260,000,000 Christianorum, 96,000,000 Musulmanorum (*). Itaque plura decies centena millia hominum debent ad castra Catholicorum transire, ut fiat unum ovile et unus pastor. Ecclesia catholica, mandato sui Fundatoris divini obsequens, Missionarios ablegat in mundum universum, ut praedicent Evangelium omni creaturae, argumentis, rationibus, et charitate studeant infideles sub suave Christi jugum mittere. Admirandis Ecclesiae Catholicae institutis merito adnumerantur illa de propaganda fide. Praeter celeberrimam Congregationem a Gregorio XV Romae anno 1622 fundatam, quae fuit aliarum archetypus, sequentia nunc extant instituta: 1) In Gallia Seminarium Missionum, Congregatio Lazaristarum, Societas Lugdunensis jam anno 1822 formata, cujus membra qualibet hebdomada ad sustentandos Missionarios obulum conferunt, et Societas Oceanica anno 1845 nata, quae suis sumptibus Missionarios ad Oceanum Pacificum transferri curat; 2) In Austria Societas Leopoldina, quae expensas itineris solvit pro Missionariis euntibus in Americam septentrionalem, eisque libros, calices, patenas, paramenta, aliaque ad cultum Religionis externum necessaria comparat; 3) In Bavaria Societas Ludovicea, ad quam cum superiorum approbatione anno 1841 accessit Societas Xaveriana in Archidioecesi Coloniensi existens; 4) Seminarium Missionum Longobardicum, cui erigendo ansam dedit Pius IX, qui Episcopis Longobardiae per suum legatum Esabon desiderium patefecit, ut tale Institutum fundarent. Pater Angelus Ramazzotti, prius Missionarius Apostolicus, nunc Episcopus Laudis Pompejae, sollicitavit Comitem de Rumilli, Archiepiscopum Mediolanensem, aliosque Antistites ad satisfaciendum Summi Pontificis desiderio, et propriam obtulit domum pro recipiendis Clericis, qui vellent ad partes infidelium ire. Propositionem hanc non solum Episcopi Longobardiae, verum etiam Franciscus Josephus, Austriae imperator, cum plausu susceperunt et approbarunt; atque ita anno 1850 in Longobardia surrexit Seminarium Missionum, jurisdictioni Episcoporum Longobardiae subjectum, et patrocinio S. Francisci Xaverii dedicatum, cujus scopus est praecones Evangelii ad partes infidelium, potissimum ad remotissimos Oceaniae populos mittere. Franciscus Strada, parochus et praepositus Basilicae S. Ambrosii,

(*) Balbi.

et Felix Lavalli, parochus S. Gothardi, novo huic Seminario suas bibliothecas dono dederunt. Anno 1852 ad incolas Oceaniae convertendos Mediolano discesserunt Paulus Reina, Carolus Salerio, Joannes Mazzucconi, Timoleon Raimondi, Angelus Ambrosoli, Aloysius Tacchini, et Josephus Costi; 5) Societas Missionum Orientalium, quae mare Ægeum, Constantinopolim, Syriam, Armeniam, Crimeam, Æthiopiam, Persidem, et Ægyptum complectitur; 6) Societas Missionum in India, quae ad Maniliam et novas Philippinas se extendit; 7) Societas Missionum in Sina, ad quam Siamensis, Conchinensis, et Funchinensis spectant; 8) Societas Missionum in America, ad quam Hudsons-Bejensis, Antillensis, Guianamensis, Canadensis, Luisianensis, et Paraguajensis referuntur. Omnes hae Societates subsunt Congregationi Romanae de propaganda fide, quae curam gerit, ut omnia in ordine procedant (*).

CAPUT II.

FATA ADVERSA RELIGIONI CATHOLICÆ.

§. 1. *Religio Jesu Christi impugnata a Philosophis in Italia.*

Numquam satis deplorandum, quod in cultis Europae regionibus non idolorum cultores, sed ipsi Ecclesiae filii sacro regenerationis lavacro abluti, et pabulo coelestis doctrinae nutriti, degeneres facti et in barathrum impietatis delapsi gladium strinxerint, ut propriam Matrem interficerent. Nobis in animo non est omnes omnino, sed Patriarchas tantum impietatis enumerare, qui more Gentilium ore et calamo Religionem Catholicam impugnarunt. Quamquam Philosophi Itali memores Deum esse rationis et revelationis Auctorem, philosophiam divinae revelationis principiis superstruxerint, atheos, deistas, materialistas, naturalistas, pantheistas, pyrronistas, caeterosque veritatis catholicae impugnatores refutaverint, et populos vel in fide confirmaverint, vel impiorum fallaciis seductos ad fidem reducere studuerint: nihilominus vitam adhuc vivunt homines, qui scriptis suis Religioni Catholicae nocuerunt, et nocent, siquidem juventutem dicteriis ab ea alienant, veneno falsae do-

(*) Gazzetta di Venezia num. 265 dell'anno 1846. Clero Cattolico anno III, num. 13.

Nota. Pro defensione et propagatione Religionis catholicae sunt et aliae Societates, ut in Gallia Societas Catholicorum, cui praeest Comes de Montalembert, Viennae in Austria Societas S. Severini, cujus Praeses est Comes O' Donnel, Societas catholica etc. Etiam Ephemerides Religionem Catholicam tueri et defendere student, inter quas memorari merentur: The Dublin Review, Sion, l'Univers, l'Ami de la Religion, Wolkshalle, Ephemerides Catholicae Tyrolenses, Salisburgenses, l'Armonia, il Cattolico etc.

ctrinae inficiunt et corrumpunt. Hos inter eminet Josephus Mazzini, patria Genuensis, ob sua principia thronis et altaribus infesta a multis jam annis extorris. Is eo vires suas intendit, ut omnes principatus italicos, Romano non excepto, evertat, totam Italiam ad unitatem et autonomiam perducat, et constituat Rempublicam, cujus Caput sit Roma. Principia Josephi Mazzini sunt: Deus est Deus, et genus humanum est ejus propheta; progressus est lex, unio populorum medium, cultura facultatum humanarum finis; genus humanum reparabitur; Catholicismus est secta, applicatio erronea, materialismus christianismi; fides catholica debet evanescere; populus Italiae tenetur Religionem catholicam exterminare in nomine continuae revelationis; Italia pollere debet facultate qualemcumque Religionem profitendi, ideoque omnes sine ullo discrimine Religiones sunt in Italia tolerandae; in locum Papae et Ecclesiae Catholicae substituendus est populus credentium; interpretatio legis a populo committenda est illis, qui sapientia et virtute sunt insignes, ideoque non Pontifex, non Episcopi, sed populi legati debent sacram Scripturam interpretari; Religionis officium est, omnem spiritus humani progressum, omnes cogitationes, omnesque actiones in bonum proximi tendentes sanctificare. Ex his colligitur, Josephum Mazzini, Religionem catholicam, Hierarchiam a Christo institutam, et infallibilem Ecclesiae auctoritatem destruere. Anno 1847 eo audaciae et impudentiae devenit, ut epistolam ad Pium IX dirigeret, qua Supremum Ecclesiae Pastorem exhortabatur, ut aliquantum a Cruce Jesu Christi recederet, et novam Religionem rerum adjunctis accommodatam introduceret (*a*). — Josephus Montanelli scribit, Italiam non posse conscientiae libertatem assequi, nisi a clerocratia se emancipet, Summum Pontificem omni praerogativa politica spoliet, bona ecclesiastica pauperibus tradat, et indifferentiam civilem sanciat; praedicat novam aeram resurrectionis religiosae praesenti substituendam, in qua Oriens et Occidens convenient ad complendam unitatem fidei mediante traditione et amore (*b*). — Ejusdem farinae est Josephus Ferrari, qui in suis scriptis ita loquitur: « Abjicite doctrinas incertas et confusas, semi-catholicas, semi-christianas, semi-pontificales. Quisque in sua domo adoret propria idola, proprios penates: religio seditionis hominem, ejusque rationem et jura denegata atque ab Ecclesia insultata in Deorum numerum refert. Christus, Caesar, Papa, imperator sunt quatuor lapides sepulchrales libertatis italicae. Europa bellum religiosum indixit Urbi Romae, neque est possibile progredi nisi Crux evertatur . . . . . Clerus per se est nullus, nullam habet vim, quia principum et regum favore nititur. Qui est Regis amicus, restaurationi Ecclesiae, et servituti Italiae cooperatur . . . . (*) Vae nobis si secta mazziniana triumpharet, et summa rerum in Italia potiretur, actum esset de Ecclesia catholica; sed Ecclesia Catholica aedificata super fundamentum Apostolorum et Prophetarum summo angulari lapide Christo Jesu non potest perire; hinc omnia ejus deliria evanescent, omnesque conatus in irritum cadent. — Aurelius Bianchi-Giovini, Longobardus, ob animum Regimini Austriaco aversum patria sua expulsus, et Augustae Taurinorum degens praelo subjecit varia opera, uti *Vitam Pauli Sarpi, Historiam Judaeorum, Historiam RR. Pontificum*, *Crisim in Evangelia*. In Vita Pauli Sarpi debacchatur in Romanum Pontificem, Curiam Romanam, Tribunal Inquisitionis, et famosum Servitarum Provincialem ad astra effert. In Historia RR. Pontificum irreverenter loquitur de Christi Vicario, Primatum R. Pontificis negat divinae esse institutionis, et impudenter asserit Petri Successorem in origine fuisse Episcopum reliquis Episcopis aequalem, qui pedetentim suam potestatem auxit, et tempore ignorantia usus ad culmen perduxit. In libro, cui titulus: *Crisis in Evangelia* collegit quidquid alii impii scripserunt contra divinitatem Christi, prerogativas B. V. Mariae, et veracitatem Evangeliorum. In Ephemeridibus « *L'Opinione* » epistolam finxit a S. Petro, Apostolorum principe, ad Episcopos scriptam, qua Antistitum superbiam, pompam, luxum, vitamque mollem arguit, eosque ceu dominationis et bonorum temporalium avidos, nec non abusuum ecclesiasticorum fautores traduxit, ut Apostolorum Successores suis lectoribus exosos redderet. — Pater Gavazzi, monachus apostata, cappellanus cruce signatorum anno 1848 contra Austriacos pugnantium post Reipublicae Romanae eversionem deseruit Italiam, et Londinum petiit, ubi theatrum suae praedicationis aperuit; inde in Americam se contulit. In suis fanaticis concionibus Italis exulibus, Anglicanis, aliisque haereticis Romanum Pontificem depingit ceu causam omnium malorum, quibus Italia affligitur, et Sedis Romanae excidium vaticinatur. Generatim sic dicti *Radicales* sunt homines, qui dicunt Deo: « Recede a nobis et scientiam viarum tuarum nolumus; sed erunt sicut paleae ante faciem venti, et sicut favilla, quam turbo disperdit. Iniquitates suae capient impium . . . . Ipse morietur, quia non habet disciplinam. » (Job. 21).

(*a*) Civiltà Cattolica num. 89 vol. 4. 1853. Cesare Cantù Storia di 100 anni Vol. 3. p. 48. Florilegio Cattolico.
(*b*) Giuseppe Montanelli, Introduzione ad alcuni Appunti Storici c. 6, c. 4.

(*) Ferrari, La federazione republicana c. 12

§. 2. *Pius IX fugam capit, et potestate temporali exuitur.*

Seditiones anno 1848 exortae non solum populis et principibus, verum etiam Ecclesiae et Romano Pontifici multum nocuerunt. Pius IX, ut tempestati, quae undique perstrepebat et minabatur, occurreret, bona fide et sano consilio suis subditis Constitutionem dedit, et ministros selegit saeculares, quibus Terentium Mamiani praefecit. Hi evanescentes in suis cogitationibus mense Majo 1848 palam fecerunt, Summum Pontificem benedicere, veniam dare, res spirituales administrare, veritates fidei definire, sed negotia temporalia populi legatis committere; contra quam declarationem Pius IX reclamavit. Permiserat supremus Ecclesiae Pastor, ut ejus milites, duce Durando, limites sui territorii custodirent; ast renuit cruciatorum vexillis benedicere, et licentiam largiri eundi in Longobardiam ad bellum contra Austriacos gerendum. Summus Pontifex animadvertens Carolum Albertum Sardiniae regem ad dominium Italiae superioris adspirare constanter repetebat, se non posse in effusionem sanguinis Austriacorum consentire, cum hi non minus quam Itali sint ejus filii charissimi. Cum ejus ministri vellent Carolo Alberto suppetias ferre, Pontifex eos dimisit, et aliud ministrorum Collegium instituit, cujus praeses fuit Peregrinus Rossi Carariae anno 1787 natus, vir naturalis ingenii dexteritate praeditus et eximie excultus, qui sub rege Philippo Aurelianensi munere legati Gallorum Romae fungebatur. Peregrinus Rossi eo animum intendebat, ut aerarium restauraret, principes Italiae ad foedus ineundum induceret, et tumultuantes factiones reprimeret. Cum esset in exequendis propositis animo constans, verae libertatis amans, et anarchiae acerrimus hostis, Mazziniani eum furori populari designarunt. Facta conjuratione, cum imperturbatus ad Comitia se conferret, 15 Novembris 1848 ex insidiis pugione confossus animam expiravit. Commisso nefasto crimine, plebs furibunda, a Mazzinianis incitata, armata manu Quirinale, in quo habitabat Pontifex, aggressa est, obsidione cinxit, ballistas igneas explosit, Palma, Papae secretarium, occidit, alios familiares vulneravit, et Vicarium Christi minis insequuta coegit, ut ad ministerium assumeret Sterbini, Mamiani, Galletti, Muzzarelli et Campello. Pontifex ad majora mala evitanda cessit, sed coram omnium principum Legatis manifestavit, se ad id vi adductum fuisse (*). Pius videns Radicales non tantum libertatem sibi adimere, sed etiam vitae

(*) Continuator Historiae Univ. D. Annegarn's t. 8. p. 348, 353.

insidias struere, a comite de Spaur Bavariae, et duce de Harcourt Galliae legatis instigatus et adjutus, 25 Novembris 1848 veste ecclesiastica in saecularem mutata, et titulo doctoris assumpto, clam per januam et viam secretam palatio exiit, paratam rhedam conscendit, et in comitatu comitis et comitissae de Spaur cursim fugae se dedit. Cum Motas Formianas feliciter attigisset, obviam se praebuere Cardinalis Antonelli et Arnau, legationis hispanicae secretarius, qui gaudio perfusi venerandum Pontificem salutarunt, et sequuti sunt Formianum, ubi gratias Deo egit, quod summo periculo evaserit, sanus incolumisque ad locum tutum et securum pervenerit. Inde per comitem de Spaur Neapolim epistolam misit, qua Ferdinando utriusque Siciliae regi suum in regnum adventum significavit, et Cajetam profectus est. Ferdinandus, accepto nuntio, laetabundus uxorem et filios certiores reddidit, praetiosiora supellectilia selegit, et incunctanter cum tota regia familia Neapoli Cajetam advolavit. Cum navis vaporifera appulisset, Rex interrogavit Gross, strenuum militum praefectum, qui mysterium nesciebat, ubinam sit Pius IX? Gross respondit, se nihil scire; cui monarcha per jocum subjunxit: ita ne vigilas? Habes intra propugnaculi moenia Christi Vicarium, et ignoras? Obstupuit militum praefectus, et ejus lingua faucibus adhaesit. Ut ad habitaculum Pontificis venit regia familia, submissis genibus, et pias in lacrymas soluta, pedes ejus reverenter est deosculata; Pius contra commotus eidem apostolicam impertitus est benedictionem. Grande spectaculum! Tum pius rex Pium IX etiam atque etiam exoravit, ut Cajetae sedem suam figeret, donec res turbatae componerentur, et proprium obtulit palatium pro habitatione. Votis pii regis annuit pius Pontifex, et ejus se commisit tutelae. Quo amore filiali, qua benevolentia Ferdinandus Pium IX susceperit, qua reverentia, quo honore, qua munificentia prosequutus fuerit, vix dici potest. Quotidie regia familia mensae Pontificis accumbebat, et dum ad deambulationem exibat, Rex et Comes Trapanensis ejus frater, detecto capite cum vestigiis sequebantur. Legati omnium terrae principum, et Cardinales, qui Cajetam confugerant, latus supremi Ecclesiae Pastoris stipabant. Antistites, principes civiles, aliique Catholici ex toto orbe non solum litteras ad communem Patrem scribebant, ut moestum ejus cor solarentur, eique omnia fausta optarent, verum etiam ubique gentium stipem cogebant, ut Pontificis necessitatibus subvenirent. Pontifex Cajetae in Dei auxilio et causae justitia confisus, testimonium bonae conscientiae habens, hominum judicia parvi pendens, ingratitudinem et excessus filiorum suorum deplorans, ultra annum Ecclesiam Jesu Christi suae curae

commissam sanctissime gubernavit, et impios Mazzinianorum ausus damnavit (a). Sic die 27 Novembris 1848 revocavit omnia, quae coactus concesserat 16 hujus mensis, omniaque decreta et statuta a ministrorum romanorum Collegio post suam ab urbe discessionem edita illegalia, nulla et irrita declaravit. Die 17 Decembris 1848 ministri romani magistratum deposuerunt, et electi sunt triumviri Galletti, Corsini et Cammerata. Hi convocarunt conventum nationalem, cui interfuerunt 200 populi legati ex territorio Pontificis, et nonnulli ex aliis Italiae regionibus. Conventus nationalis die 9 Februarii 1849 decrevit, Pium IX de jure et de facto potestate temporali excidisse, Rempublicam proclamavit, cujus Rectores designati fuere Mazzini, Armellini, Saffi, bona ecclesiastica ad se attraxit, varia monasteria abolevit, Monachis et Monialibus facultatem fecit ad saeculum redeundi, rhedas Cardinalium et exedras ad excipiendas confessiones flammis tradidit, in sibi adversos saevit, aliisque criminibus se contaminavit. Cum reipublicae Rectores bona ecclesiastica et monumenta artis atque antiquitatis veno ponerent, Cardinalis Antonelli, emisso nomine Pii IX edicto, omnibus et singulis interdixit talia bona et objecta emere. Fama horum eventuum percrebescente, orbis catholicus ingemuit et perstrepuit. Pius IX, datis ad principes litteris, Gallos, Austriacos, Hispanos, et Neapolitanos in auxilium vocavit. Comitia gallicana decreverunt, Gallis incumbere officium Summum Pontificem sedi suae et dominio temporali restituendi; quam ob rem Respublica gallicana, duce Oudinot, 30,000 militum Romam misit, qui post 60 dies in praeliis transactos, 2 Julii 1849 inter ingentes strages et ruinas Urbem in suam potestatem redegerunt, et Rempublicam Mazzinianam funditus everterunt (b). Austriaci Bononiam, Ravennam, Marchiam et Umbriam occuparunt: Hispani et Neapolitani in patriam sunt reversi.

§. 3. *Pontifex suae sedi restituitur.*

Cum Summus Pontifex dies suos in exilio duceret, Conventus nationalis cum potestate temporali exuisset, Rectores Reipublicae proventus ecclesiasticos dilapidarent, clericos tam saeculares quam regulares sibi invisos persequeretur, Cardinales essent dispersi, et Roma sub duro Mazzinianorum jugo gemeret, plures caecutientes et debiles in fide cum Radicalibus buccinabant, Petri Successorem nunquam amplius dominium temporale recepturum esse. Ast iterum iterumque mira

(a) L'Amico Cattolico, fasc. 5 maggio 1851.
(b) Continuator Hist. Univ. D. Annegarn's f. 8. p. 358, 363.

facta est rerum conversio. Posteaquam Galli, frementibus republicanis, Romam sibi subjecerunt, Austriaci vero Hetruriam et Legationes occuparunt, Pius IX 12 Aprilis 1850 in comitatu Cardinalium Antonelli, Asquini et Dupont ad suam sedem reversus est. Petrus est petra supra quam fundata est Ecclesia, et contra quam portae inferi non possunt praevalere. Omnia opera hominum labuntur, urbes, regna, imperia corruunt, Roma et Summus Pontificatus stant et stabunt; omnes Ecclesiae persecutores pereunt, Roma et Petri Cathedra permanent. Non oportet oblivisci Romae christianae imperium latius esse, quam Romae paganae, et multo plures gentes parere pedo Pii IX, quam sceptro Caesaris Augusti (*). Si Summus Pontifex coactus foret ad aliam urbem sedem suam transferre, Roma et dominium et splendorem amitteret. Itaque cives Romani non praebeant aures malevolis, qui praetextu Romam attollendi, et ditandi, eam deprimere, et in angustias compellere conantur. Roma sine Papa evaderet desertum.

§. 4. *Tristis Ecclesiae status in Italia.*

Dici vix potest quanta damna Ecclesiae catholicae, praecipue in Italia motus populares intulerint. Postquam Pius IX fugae se dedit, *Radicales* praedicabant, Pontificem Romanum et Religionem Catholicam unitati et autonomiae nationis italicae obstare; ideoque Vicario Jesu Christi terga vertenda, Religionem catholicam deserendam, et Lutheri reformationem amplectendam esse. Hunc in finem in vulgus sparserunt versionem Bibliorum a Joanne Diodati Calvinista adornatam cum adnotationibus Francisci de la Mennais, qui Evangelia in sensu democratico exposuit. Etiam Methodistae Angli emissarios, et plura Bibliorum exemplaria in Italiam miserunt, ut incolas in suas partes pertraherent. Praeterea *Radicales* buccinabant, Religionem Catholicam pensum in Europa absolvisse, hominum cultorum indigentiis amplius non satisfacere, et per consequens exilio mulctandam esse. Pius IX contra hunc im-

(*) Perbelle M. Éugène Robin: « Aujourd'hui il n'y a rien au monde de fixe et de stable à quoi l'on puisse attacher sa vie. Les idées et les rois passent; tout se deplace, tout s'use, avec une dévorante rapidité. La société change dix fois de face entre le berceau et la tombe d'un mortel. En verité, au milieu de cette versabilité des choses, il n'y a qu'une ville, et qu'un homme qui, par leur immobilité dans l'Océan du temps, présentent à notre esprit une image de suite et de perpétuité, Rome et le Pape. Trouvez-moi, pour ceux qui sont las d'errer à la merci de tous les vents, et qui demandent à la vie le calme et l'éternité, un refuge assuré ou chercher un abri, un port toujours ouvert ou amarrer leur barque, si n'est ce rocher plus haut que les tempêtes, Rome et la Papauté. » (Vid. Études philosophiques par Auguste Nicolas t. 4 p. 513).

pium animos Italorum pervertendi conatum die 8 Decembris 1849 litteram pastoralem misit ad omnes Archiepiscopos, et Episcopos Italiae, quibus impense commendabat, ut propagationi Bibliorum protestanticorum obicem ponerent, praedicationi impietatis praedicationem doctrinae Jesu Christi, libris malis libros bonos opponerent. Praesertim in Pedemontio, obtenta typographiae libertate, irreligiosi homines libellos famosos in lucem emiserunt, uti; *Esercizi spirituali pel Clero, Pio IX dinanzi a Dio, Non più Tiara, D. Pirlone, Cristo citato al Tribunale militare*, divina mysteria, ritus ecclesiasticos, Viam Crucis, orationes risui et contemptui exposuerunt. In ephemeridibus; *l' Opinione, la Strega, la Gazzetta del popolo, l' Italia del popolo, la Voce del deserto*, aliisque Pium IX, Episcopos, Clericos, omnesque Catholicos dicteriis et calumniis prosciderunt. Refugit animus ea dicere, quae fidem etiam bonorum debilitabant; et si quis vellet omnia deliria delineare, satyram potius scribere, quam historiam texere videretur. Episcopi Longobardiae mense decembri 1850 Mediolani conventum celebrarunt, ut Religioni catholicae consulerent. In epistola encyclica ad Clerum suarum dioecesium data lamentantur, farraginem librorum impiorum et ephemeridum perversarum inundare Longobardiam, deridere sancta, fidei integritate et doctrinae moralis puritati insidiari, homines sanam doctrinam non pati, a veritate auditum avertere, ad fabulas autem convertere, sibi quaerere magistros prurientes auribus, Biblia corrupta in manibus Catholicorum versari etc. (*). Concessa in Pedemontio Religionis tolerantia, Protestantes 30 Octobris 1851 Augustae Taurinorum primum lapidem templi posuerunt, cui solemnitati interfuere Abercomby legatus Angliae, Comes Redem, minister Regis Borussiae, et varii conspicui viri. Omnes Antistites Pedemontii, praevidentes mala in Ecclesiam Catholicam redundatura, elevarunt vocem et contra templi protestantici erectionem scripto ad Regem misso reclamarunt. Speciatim Antistites provinciae taurinensis Regi haec scribere non sunt veriti: « A quo in catholica urbe taurinensi templum Protestantium erigitur, cujus muri horridis in augustissimum fidei nostrae mysterium blasphemiis resonabunt; a quo ephemerides etherodoxae Religioni catholicae insultant, et effraenis typographiae libertas omnia quae habentur sanctiora in coelo et in terra deridet, temnit, violat, bonos mores corrumpit, et conatur e cordibus populorum veram Jesu Christi Religionem eradicare, sine qua impossibile est Deo placere, Episcopi et animarum pastores sceptro ve-

(*) Clero Cattolico Anno I, N. 2. 1850.

strae Majestatis subjecti moerore et tristitia conficiuntur ». Ex his liquido fluit quam tristis fuerit Ecclesiae Catholicae status in Italia (*a*).

§. 5. *Adversarii Religionis in Gallia.*

Beranger, insignis poeta, adhuc vivens sed senecta jam fractus, suis carminibus populum ad lasciviam, crapulam, et publicae auctoritatis contemptum excitavit, cui se opposuit Alphonsus Lamartine in Gallia anno 1792 natus, alter celebris poeta, qui publici juris fecit: *Poeticas meditationes*, *Poeticas et religiosas harmonias, Canticum in coronatione Caroli X, Itinerarium Orientale, Destinationem poeseos, Jocalyn, Lapsum unius Angeli*, *Historiam Girondinorum;* sed etiam Alphonsus Lamartine nomine poetae christiani insigniri nequit. Vividis coloribus semetipsum depingit in *poeseos Destinatione*, ubi ait: « Quomodocumque natura animum meum afficiat, vel afficere possit, fundamentum affectionum fuit semper praesentia divinitatis in omnibus rebus, vivida conceptio, plus minusve clara intuitio praesentiae et operationis Dei in visibili creatione et cogitante humanitate, fortis et inconcussa persuasio, Deum esse ultimum omnium Verbum, Philosophiam autem, Religionem, Poesim plus minusve perfectas revelationes nostrae relationis ad supremum Ens, viasque paullatim ascendendi ad Eum, qui est ». In decimaseptima meditatione, cui titulus: *Oratio*, exponit fidem spem et charitatem modo, a quo neque Plato, neque Socrates alieni erant. Idem dicendum de meditationibus inscriptis: *Christus moriens, Immortalitas, Deus.* Alphonsus Lamartine, ut ex ejus confessione fit manifestum, propendit ad Pantheismum, et indifferens esse videtur erga omnem religionem; nihilominus caeteris praefert et veneratur Religionem, quam cum lacte materno suxit, eidemque rerum sublimium cognitionem adscribit (*b*).

§. 6. *Franciscus de la Mennais, et Gerbet.*

In fama est Franciscus de la Mennais anno 1782 S. Malò in Britannia natus, vir singulari ingenii acumine praeditus, profundus, disertus, in omni litterarum ramo versatus, Tertullianus saeculi XIX non immerito appellatus, quia sicut his prius contra Judaeos, Gentiles et haereticos fortiter pugnavit, deinde ad castra Montanistarum transiit, ita ille in sua ju-

(*a*) Clero Cattolico Anno III, N. 1.
(*b*) Scharpff Praelect. H. E. novissimi temporis.

ventute visus est Religionem catholicam defendere, a qua postea descivit, ut sub signis impiorum militaret. Juvenis adhuc studio Theologiae se dedicavit, et malos libros lectitans in religionis indifferentiam incidit, a qua tamen mox ad principia catholica rediit. Post suum ad fidem reditum ore et calamo praedicabat, causam omnium malorum esse fidei defectum. Anno 1808 in lucem edidit *Reflexiones in Ecclesiae gallicanae statum durante saeculo XIX, et praesentem ejus conditionem*, quo in opere non solum tuitus est aberrationes populi gallicani esse tristes sequelas defectus fidei, verum etiam articulos Concordati inter Pium VII, et Napoleonem initi severae crisi subjecit: quam ob rem ejus Reflexiones a publica auctoritate fuerunt interdictae. De la Mennais tacuit et ad Seminarium se contulit, ubi absoluto studiorum curriculo anno 1817 Presbyter ordinatus est. Ad dignitatem Presbyteri evectus typis mandavit famosum opus, cui titulus: « *Essai sur l'indifférence en matière de Religion* », quod cum a nonnullis eruditis impugnaretur, et sinistre interpretaretur scripsit Apologiam: *Défense de l'Essai sur l'indifférence.* De la Mennais defendit, solam Religionem basim esse ordinis socialis; Religionem non individuae rationis principio, sed externae auctoritati niti; neque Deismum, neque protestantismum in se conditionem habere ordinis socialis. De la Mennais interrogat: Religio Catholica continet in se hanc conditionem? Et respondet, eam in externa auctoritate requiesere. Auctoritas est ne talis, ut quilibet possit eidem cum certitudine se subjicere? Haec quaestio eum ducit ad veram Religionem, et quaerit: quid est veritas? Quomodo certitudinem in veritatis cognitione assequimur? Oportet, subjungit, quaerere rationem universalem, quae in omnibus et omni tempore infallibilis est. Haec est generis humani consensus, seu ratio generalis, sensus communis (la raison général, le sens commun). Natura nos non sinit in profundum septicismi labi. Absoluta certitudo, et absolutum dubium eodem modo nobis interdicuntur. Nos haec duo extrema notamus. Homo nequit semetipsum in nihilum redigere; volens nolens debet credere, quia tenetur agere. Voluntas in nostra ratione format seriem veritatum, quas nullum dubium concutere potest. Constanter credimus nos esse, sentire, cogitare, judicare, ratiocinari; et qui de hisce dubitat est mentecaptus. Naturaliter sumus inclinati ad judicium ferendum de veritate et falsitate secundum sensum communem, aut juxta majorem numerum testimoniorum et judiciorum. Christiana Religio, nominatim Catholica pro se habet testimonium maximae auctoritatis, id est rationem generis humani; ergo est vera Religio . . . . . Auctoritas Ecclesiae

catholicae est ratio objectiva divina, ideoque ratio generalis, cui ratio singulorum hominum debet se subjicere. Organum auctoritatis ecclesiasticae est Romanus Pontifex. Insurgere contra Ecclesiam infallibilem et Romanum Pontificem ejus organum, est dementia et seditio poena digna. Anno 1826 Parisiis praelo subjecit scriptum: *De la Religion considéré dans ses rapports avec l'ordre politique et civil*, ubi demonstrat articulos Ecclesiae gallicanae esse haereticos, utpote principiis Religionis catholicae oppositos, veritatem esse unicam, nempe christianam, cujus Fecialis et custos est Summus Pontifex, Civitatem debere Pontifici ancillari ad veritatem conservandam. Si Civitas, ait de la Mennais, differentes cultus, judaico non excepto, tolerat, Deum exsecratur, et debet perire. Cultus et opinionum religiosarum differentia est lata via ad indifferentiam perveniendi. Sicut Tertullianus potestatem civilem Gentilium impugnavit; ita de la Mennais regimini politico infensus est. Hoc scriptum fuit condemnatum, et Auctor ad Tribunal civile citatus. Postea de la Mennais Romam petiit, unde redux in solitudine vixit politicas patriae suae vicissitudines observans. Anno 1829 scripsit librum, cui titulus: *Progrés de la révolution et de la guerre contra l'Église*, in quo progressum seditionis et belli contra Ecclesiam ex eo deducit, quod Civitas Ecclesiae praevaleat, et se opponat. Generatim falsa esse principia Francisci de la Mennais nemo non videt; etenim ratio generalis, seu sensus communis obtinetur ex concursu singularum rationum, et si ratio singulorum hominum fallibilis est, etiam ratio generalis fallibilis erit; et si singulorum hominum ratio in errore versatur, ratio quoque generalis erronea erit; ergo non est certum veritatis criterium. Praeterea si ratio generalis est veritatis criterium, hoc quaerendum erit non apud Christianos, sed potius apud Gentiles, cum hi numero multo plures sint, quam Christiani. Erronea quoque est opinio, Civitatem in rebus mere civilibus potestati ecclesiasticae esse subjectam, eamque Deum exsecrari et debere perire, quia diversos cultus religiosos tolerat. Anno 1830 de la Mennais societatem iniit cum celeberrimis viris Henrico Lacordaire, Ph. Gerbet et Comite Montalembert ad propugnandam propagandamque Ecclesiae Catholicae libertatem. Hunc in finem emiserunt in lucem ephemerides « *l'Avenir* » cum inscriptione: *Deus et libertas; totalis Ecclesiae a Civitate separatio*, in quibus defendebant, Ecclesiam debere renuntiare omnibus subsidiis et beneficiis, quae a Civitate percipit, redire ad primorum saeculorum paupertatem, et ab omni Civitatis tutela et curatela se eximere. Asserebant gallicanam Constitutionem hanc separationem tutam reddere, institutionem juventutis li-

bertate donandam esse. Haec principia Clerum Gallicanum bifariam diviserunt; quare Gregorius XVI 2 febr. 1831 misit in Galliam fidei formulam, cui dissidentes subscribere debebant, et in qua Pontifex palam fecit, Ecclesiam in normali societatis conditione non posse a Civitate separari, sed invicem se habere sicut Religio ad scientiam. Circa finem anni 1831 la Mennais, Lacordaire, et Montalembert profecti sunt Romam, et 3 Febr. 1832 scriptum (Mémoire) a Lacordaire compositum Summo Pontifici porrexerunt. Post eorum discessum Papa emisit ad Episcopos litteras, in quibus haec verba sunt notanda: « Tam pro Civitatis, quam pro Religionis bono cavere debemus ab ideis eorum qui separationem Ecclesiae a Civitate praedicantes, concordiam inter Sacerdotium et Regnum tollere conantur ». Quam ob rem Ephemerides l'*Avenir* occiderunt. Summus Pontifex exegit formalem retractationem a Francisco de la Mennais, qui respondit, in omnibus quae fidem, apostolicam traditionem, administrationem, et disciplinam Ecclesiae spectant se subjicere; in reliquis vero quemlibet christianum liberum esse cogitandi, loquendi, agendi ad libitum. Nihilominus a Cardinale Pacca certior factus, Pontificem moerore confici, 11 Decemb. 1833 in Palatio Archiepiscopi Parisiensis, doctrinae a Gregorio XVI propositae subscripsit. Eum haud sincere subscripsisse ex posterioribus ejus scriptis, et potissimum ex *Peregrino Polono* luculenter patet. In libro: *Les affaires de Rome* anno 1837 edito narrat, se coram Archiepiscopo Parisiensi declarasse, principium, quod ceu basim et legem catholicae auctoritatis eousque defendit, esse erroneum, seque paratum ad subscribendum formulae supremi Pastoris, salvis tamen officiis erga patriam et genus humanum, a quibus nulla potestas possit eum avellere, aut solvere. Paulo post publici juris fecit; *Verba credentis* (Paroles d'un croyant), ubi stylo apocalyptico vaticinatur regnum libertatis, aequalitatis, et fraternitatis, atque depingit terrae principes ceu feras populos devorantes, ac diabolos, qui bellum indicunt Christo, eidemque maledicunt, quia ipse est libertatis auctor. Anno 1840 scripsit *Librum populi* (Le livre du peuple), et anno 1841 *Librum Religionis* (Le livre de la Religion). Eodem anno publicavit Opus in tria volumina divisum, et in fronte gerens titulum: *Esquisse d'une Philosophie.* In primo volumine agit de Deo, creatione, universo, diversis entium ordinibus, legibus generalibus creationis relate ad proprietates entis essentiales, et qualitates diversorum ordinum entium. In secundo disserit de statu hominis primitivo et presenti, de homine ceu ente organico, intelligente, libero, de relatione hominis ad Patrem seu potentiam divinam, de homine in statu

sanitatis et morbi. In tertio disputat de homine in statu actionis, et de objectis actionis, nimirum de industria et arte. In hoc opere ideas democraticas habitu philosophico induit, et non obstante fide in Deum et animae immortalitatem se Pantheistam profitetur. Anno 1843 composuit duo opuscula inscripta: *Ariechepands et Dervands*, in quibus ideam exponit democratici chistianismi, ejusque divinam originem ac perpetuitatem negat. Scripsit quoque *Reflexiones et Adnotationes in Evangelia*, in quibus Scripturam sacram ad sensum democraticum detorsit. Christianus et Christi minister non erubuit sibi et Christo galerum rubrum imponere. In ejus scriptis apparet theologus, philosophus, orator, pantheista, politicus, republicanus, socialista. Secundum illum civilis ordo eidem humano innititur fundamento ita, ut populus sit totum in omnibus. Negari nequit tristem Galliae conditionem, peccata temporis, continuas seditiones magnum in ejus spiritum exeruisse influxum; sed oportet etiam confiteri superbiam spiritus, quae lapsum Tertulliani causavit, Franciscum de la Mennais a via veritatis ad semitam perditionis traduxisse. Quis non lugeat jacturam tanti viri, qui ingenii acumine, eloquentia, et scientiae thesauris Ecclesiam Jesu Christi illustrare potuisset? Quis non deploret lapsum hominis, qui in Ecclesia primae magnitudinis sydus fuisset? Auctor vivit, et est jam in aetate provectus; quapropter speramus fore, ut per Dei gratiam ad principia catholica redeat. Franciscum de la Mennais, editis libris, confutarunt Lacordaire, Guillon, Boyer, Bautin, Debreyne Trappista, Faider, Combalot, et plures alii (*).

Discipulus et amicus Francisci de la Mennais fuit Ph. Gerbet, vir doctus, qui annis 1816 et 1831 Lutetiae Parisiorum typis excussit duos libros, nimirum: *Des doctrines philosophiques sur la certitude dans le rapports avec les fondaments de la Théologie; et Coup d'oeil sûr la controverse chrétienne depuis les premiers siècles jusque à nos jours.* In primo horum librorum auctor demonstrat, theoriam magistri sui de ratione generali nihil aliud esse, quam philosophiae catholicae et doctrinae fidei expositionem: in secundo idem thema historice confirmare conatur, et infert ab initio Ecclesiam Christi nullum aliud

(*) Lacordaire; Considération sur le systéme philosophique de M. de la Mennais; Bautin; Répons d' un chrétien aux paroles d' un croyant, à M. De la Mennais par Ch. Faider, Bruxelles 1838; Paroles d'un croyant par l'Abbé de La Mennais quand il étatit croyant, Bruxelles 1838; Encyclopedia Theologiae catholicae; Ph. Gerbert, Reflexions sur la chute de M. de La Mennais; Scharpff Praelect. H. E. novissimi temporis.

Nota. Franciscus de La Mennais impoenitens pertinax obiit Lutetiae die 28 Februarii 1854 in aetate 72 annorum. Ante mortem mandavit, ut ejus exuviae sine pompa, cantu et coeremoniis ecclesiasticis ad pauperum sepulchrum transferantur.

veritatis catholicae criterium habuisse. Ph. Gerbet se opposuit Pater Rozaven, eruditus Jesuita, qui anno 1831 in lucem emisit *Examen*, ubi praefata scripta severae crisi subjecit. Credere, inquit Pater Rozaven, idem est ac auctoritati acquiescere; sed auctoritas duplex est; scilicet *vera* et *falsa*: sola fides in Deum in se certitudinem continet. « Quod intelligimus, scribit S. Augustinus, debemus rationi; quod credimus auctoritati. » Itaque S. Augustinus definivit scientiam et fidem non unitati principii, sed dualismo certitudinis niti. Quomodo possumus rationi generali, cui etiam infallibilitas adscribitur, fidere, cum aliquando integra saecula fuerint errori dedita? Fides nihil amittit, si cum scientia conjungatur; siquidem veritas Dei testimonio innititur. Nihil verius, nihilque certius, quam quod Deus revelavit. Qui hoc examinare praesumit, ad Hospitale dementium relegari meretur. Subjectio revelationi debita ejusdem cognitionem praesupponit. Etiam Ph. Gerbet, non minus quam Lacordaire et Montalembert, convictus de falsitate systematis Francisci de la Mennais, ejus castra deseruit (*).

§. 7 *Alii inimici Religionis in Gallia.*

In Gallia Pantheismus ab inferis fuit revocatus. Nonnulli Philosophi Galli studuerunt propriam philosophandi rationem cum philosophia Scotorum et Germanorum conjungere. Hoc efficere conati sunt Royer-Collard, ejusque discipulus Jouffroy, qui praecipuum scholae Scotorum opus in gallicum idioma vertit. Haec schola, quae sedem veritatis purae a mundo reali ad mundum idealem transferebat, erat pons per quem transitus fiebat ad philosophiam Hegelii, quam in Gallia propagavit Cousin, alter Royer-Collard discipulus. Cousin anno 1792 natus, et sat mature philosophiae professor, ceu exemplaria sibi selegit Platonem, quem in gallicam linguam translulit, et Neoplatonicos Proclum atque Carthesium, quorum opera edidit, ut homines in sanctuarium philosophiae contemplativae introduceret. Cum in Germaniam profectus fuisset, ob liberam loquen-

(*) Ph. Gerbet inter cetera memoratu digna haec scripsit. « Celui qui déclare une guerre ouverte à l'Eglise, qui prophetise sa ruine, qui dans les dernières pages de l'écrit qu'il vient de publier, n'a point craint d'outrager par le plus brutal sarcasme, l'auguste vieillard que la chrétienté salue du nom de Père, a eu en moi un ancien ami, qui l'aimait d'une amitiè née aux pied des autels, et qui avait pour lui autant de dévouement, je crois, qu'aucun des amis nouveaux, qui sont venus courtiser sa révolte. A' ce souvenir je tomba à genoux, offrant pour lui à Dieu des priéres, dans lesquelles il n'a plus de foi, et je ne me relève que pour combattre dans l'ami de ma jeunesse l'ennemi de tout ce que j'aime d'un éternel amour. » (Université cathol., recueil phil. scient. et litter. T. III, et IV. Paris 1837).

di rationem contra regimen politicum in suspicionem demagogiae venit; quare fuit captus, Berolinum ductus, et in vincula conjectus. Mox libertate donatus in principe Borussiae urbe necessitudinem iniit cum philosopho Hegel, qui eum permovit ut inter Gallos suam philosophiam divulgaret. Ex itinere germanico Lutetias Parisiorum redux et ore et calamo suis auditoribus et lectoribus ideas et principia Hegelii instillavit. Ex omnibus anterioribus systematibus philosophicis, quae secundum Hegel nihil aliud sunt nisi momenta unius ejusdemque ideae, Cousin composuit *Ecclecticismum*, ut omnia phaenomena conscientiae explicaret (Ecclecticisme impartial appliqué aux faits de conscience). Philosophia Hegeliana usus et abusus unitatem divinae et humanae rationis defendit. Juxta Cousin in nostra ratione est idea infiniti (Pater), finiti (Filius), et relationis utriusque (Spiritus Sanctus); idcirco est ratio absoluta. Divinitas est motus unitatis ad pluralitatem. Effectus hujus motus est creatio. (*a*).

Praeter Cousin irreligiosam Hegelii philosophiam diffudit Lerminier anno 1803 in Gallia ortus, qui litteris et scientiis operam navavit Argentorati, Berolini, Haidelbergae, et absoluto studiorum curriculo in Collegio gallicano cathedram historiae juris obtinuit. In sua juris philosophia Parisiis edita anno 1831 dicit: « Deus est legum essentia, et se manifestat in societatis progressu . . . . . Homo sibi fingit Deum naturae suae conformem, quia ipse solus est Deus. Cogitatio est dux ad coelum. In medio nihil datur. Aut idea nihil est, aut ipsa sola Deus est. Homo in plenitudine suarum virium cogitat integritatem; idea pura et plena cogitatio nihil aliud est, quam ipse Deus. » De Jesu Christo autem ita loquitur: « Eo tempore erant plures Redemptores, plures legati ad homines missi, plures Christi; sed unus ceteris superior fuit. Ad magnum opus perficiendum semper plures concurrunt, sed unus dirigit. Dantur tragici sicut Sachakespaar, et belliduces sicut Napoleon. Uni datum est excellere in pietate. Christus homines singulariter excitavit. Religio, philosophia, poesis suos habet amatores, in quorum fronte natura signum impressit. Metus Christi fuit moralis et individuus. Verbum sanctitatis mundo praedicatum necessario radices fixit. Verbum mysticum christianismi debuit rex terrae evadere. Sceptra, regna, dominia, quae malus spiritus, seu tentator Christo obtulit, debebant tandem esse praemium consummati sacrificii » (*b*). Ex applicatione horum principiorum ad singulos scientiarum positivarum ramos alii errores, vel potius deliria profluxerunt.

(*a*) Scharpff. Praelect. H. E. novissimi temporis.
(*b*) Vid. Opera De l'influence de la philosophie du siécle, Paris 1833; Etudes l'histoire et de philosophie, Paris 1836.

Damiron in *Historia Philosophiae saeculi XIX* defendit ideam esse summam Evangelii, revelationem naturae humanae substantiam, peccatum originale innatam imperfectionem, Incarnationem Filii Dei symbolum ideae infinitae rationis in ratione finita hominis. Damiron non immerito appellari potest Strauss Galliae.

J. Michelet ab anno 1838 *Historiae et Philosophiae moralis* professor in Collegio gallicano in sua *Introductione ad Historiam universalem* scribit, libertatem oriri et florere a populi vita, quia vita populi est vita Dei. Quidquid in populo fervet, movetur, erumpit, ad absolutos ejus conscientiae conceptus spectat. *In Historia autem gallicanae seditionis* Parisiis anno 1847 edita propugnat, seditionem esse potentiam, quae humano generi justitiam et salutem loco gratiae adferre debet; totum hujus mundi drama duos habere actores, nempe *Religionem Christianam, et Rebellionem;* veterem Galliam fundatam fuisse super Religionem Christianam, religiosam monarchiam, systema gratiae; seditionem erupisse ad evertendum dominium favoris et religionem gratiae, in quorum locum plantata fuit justitia; seditionem praestantiorem esse Religione Christiana, quia seditio omnibus hominibus beneficium fraternitatis largitur, quod Religio Christiana solis membris Ecclesiae Christi tribuit; Voltaerum esse Messiam sanctae et salutiferae seditionis, caprum emissarium, qui dolores totius generis humani portavit, eumque pro hominum salute pertulisse quidquid fanatismus et tyrannis excogitarunt.

Aloysius Blanc anno 1837 edidit in lucem *Historiam seditionis,* quae anno 1830 erupit, et in ea posuit tria principia, nimirum *auctoritatem, fraternitatem, individualitatem.* Juxta Blanc principium auctoritatis viguit usque ad Concilium Constantiense anno 1414 celebratum: anno 1414 Joannes Hus in templo bethlemetico Pragae principium fraternitatis praedicavit: tandem Martinus Lutherus statuit principium individualitatis, secundum quod homo, excusso obligationis jugo, nactus est libertatem. Hoc Lutheri principium partim per Protestantes, et partim per litterarum studia saeculo XVIII in mundum universum fuit introductum; hujus principii fructus est seditio, initium regni fraternitatis, in quo tantum liber hominum consensus est totius ordinis socialis fundamentum. Aloysius Blanc, Apostolus *Socialismi* et *Communismi,* fuit exilio mulctatus, quia magnam partem habuit in seditione exorta Parisiis mense Junio 1848. Ejusdem farinae homines sunt Ledru-Rollin, Prudhon, Blanqui, Victor Ugo, et plures alii, qui operarios potissimum et pauperes ad suam partem trahere conantur. Aloysius Bonaparte, summa

rerum in Gallia potitus, plures impios expulit, aliis vero publice docere et loqui interdixit; sed opera eorum veneno impietatis referta in manibus multorum versantur. Hisce antiquis novo habitu indutis christianae Religionis hostibus se opposuerunt viri docti et cordati, inter quos eminent Maret, professor in facultate theologica Parisiensi, qui anno 1841 edidit opus inscriptum: *Investigatio Pantheismi,* ubi omnes errores recentioribus temporibus in philosophia, Religione et politica commissos ex Pantheismo tanquam ex fonte deducit, et Prat Sacerdos, qui contra Cousin *Historiam Ecclecticismi Alexandrini* scripsit, nec non Valroger, qui directe adversus Ecclecticismi Fundatorem, ejusque asseclas calamum strinxit in suis operibus « Schola Ecclectica Junior » et « Disquisitiones criticae supra rationalismum hodiernum ». Contra impios eorum ausus insurrexerunt quoque variae Ephemerides, uti *Annales christianae philosophiae, Universitas catholica, Universum, Unio catholica, Amicus Religionis* etc. (*).

§. 8. *Hostes Religionis in Germania.*

In Germania systemata Kantii, Fichtii, Schellingii, et praecipue pantheistae Hegelii, cujus Deus est ratio, adhuc hodie in animos hominum magnum exerunt influxum. Ex scholis horum magistrorum prodierunt discipuli, qui securim ad radicem Religionis christianae posuerunt, ut hanc arborem divinam decuterent. Praecipui sunt: 1) Joannes Friderici, qui edito libro conatus est demonstrare, Jehovam et Moloch ab initio eundem Deum fuisse, cui Hebraei ab Adamo usque ad Salomonem cultum exhibuerunt, Israelitas esse Americanorum propaginem, quae asinum colebat, et carne humana vescebatur, verbo totam Scripturam Sacram Veteris Foederis adulteravit et corrupit. 2) Daumer in opere, cui titulus: *Secreta antiquitatis christianae* dicit, spiritum hominis esse natura sua malum, et omnium malorum causam; nullum inter Christianismum et Molochismum dari discrimen; passionem Christi et Eucharistiam esse actus atrocissimae barbariei, seu ferocitatis Molochianae; omnes ritus, omnesque christianorum mores crudelitatem et sanguinem spirare. 3) T. W. Ghillamy publici juris fecit opus inscriptum: *Sacrificia humana apud Hebraeos antiquos,* quo in opere, sicut Daumer, propugnat Hebraeos carnem manducasse humanam. 4) Lützelberg in *suo Jesu cognominato Christo,* vestigiis Davidis Strauss inhaerens, divinam Jesu Christi missionem negat, et ob apparentes contradictiones

(*) Scharpff Praelect. H. E. p. 111, 121.

Novum Testamentum rejicit. 5) Weitling scripsit *Evangelium pauperum piscatorum*, ubi tuetur Christum fuisse prophetam, qui docuit omnia in hoc mundo esse communia, et ad confirmandam suam doctrinam Sacram Scripturam in levam partem detorsit. 6) Bruno Bauer edidit in lucem *Crisim in Historiam*, quo in libro docet Religionem Jesu Christi esse philosophiam pantheisticam, expositionem traditionum judaicarum, et opus litterarium a conscientia religiosa illius temporis inspiratum. In ejus phantasia Christus nihil aliud est, quam idea *Communitatis*, quae diversas sustinet persecutiones, ac tandem triumphat. Tres magi sunt legati Paganismi, qui peregrinantur, ut novum principium adorent. Herodes repraesentat potestatem civilem, quae occidit corpora, sed ideam occidere nequit. 7) Feuerbach in opere, quod in fronte titulum gerit: *Essentia Religionis christianae* totam Jesu Christi revelationem traducit, deridet, contemnit. 8) Hermanus Ewerbach, Dantisci in Polonia Borussica natus, et Lutetiae Parisiorum commorans, anno 1852 statuit Gallis communicare omnia opera a discipulis Hegelii composita et in lucem edita contra Scripturam sacram et Religionem.

Ad malorum cumulum accedit, quod Annales Germaniae propagent ideas irreligiosas, negent Deum esse suimetipsius conscium, et ab hoc mundo separatum, praedicent Christum esse figmentum humanum ad infantiam generis humani spectans, doceant Theologiam in anthropologiam, et fidem in scientiam mutari debere. Quomadmodum in Germania magna datur scriptorum impiorum copia; ita non desunt viri eruditi qui veritates Religionis catholicae defendunt. Speciatim laudari merentur Episcopi Germaniae, qui seposito omni metu, sunt muri pro domo Israel, et bonum certamen certent, ut coronam justitiae acquirant (*).

§. 9. *Hostes Religionis catholicae in Bohemia et Svevia.*

Augustinus Smetana, Pragae natus anno 1814, emensa studiorum palaestra anno 1837 ad dignitatem presbyteri evectus, Ordini Cruciatorum stellae rubrae nomen dedit, et ab anno 1848 in Universitate Pragensi supplevit professorem philosophiae Esner, qui ad discutiendum circa novum studiorum systema Viennam fuerat vocatus. Electus postea professor philosophiae in Gymnasio Civitatis novae, a supremo Ordinis Magistro licentiam obtinuit extra Claustrum commorandi, ut scholae propius esset. Cum et ore et calamo philosophiam Hegelii

(*) Clero Cattolico Anno II, num. 9.

propagaret, venenum pantheismi suis auditoribus propinaret, et fidei dogmata risui exponeret, Supremus Magister eum ad Conventum revocavit, ut emendaretur et in doctrina Religionis magis magisque consolidaretur; ast protervus religiosus non solum suo Superiori obedientiam denegavit, verum etiam in publicis ephemeridibus contra dogmata catholica scripsit ita, ut atheismum profiteri videretur. Quam ob rem Consistorium Pragense ei injunxit, ut palinodiam caneret, et cum reluctaretur, incorrigibilem filium diris devovit, administratione et suspensione Sacramentorum interdixit, et fidelibus cum eo communicare vetuit. Paulo post Smetana in gravem incidit morbum, et cum animam ageret, Fridericus princeps de Schwarzemberg, Archiepiscopus Pragensis, eum invisit et exhortatus est, ut saluti animae suae consuleret; sed omnia salutaria monita, omnesque conatus Praelati Pragensis in irritum cecidere. Smetana mansit pertinax, et in sua perversitate fatis cessit.

In Svevia religio dominans est Lutheranismus. Anno 1851 quindecim mulieres matrimonio junctae, et matres plurium filiorum ex castris Lutheranorum ad sacra catholica sponte transierunt; quare Ephemerides radicales (Folkest-Roast) eas criminis apostasiae a doctrina evangelica insimularunt, et qua tales ad tribunalia cum ecclesiastica, tum civilia tractae fuere. Tribunalia acriter eas reprehenderunt, et poenam exilii eis intentarunt, nisi ocyus Religionem catholicam desererent. Regimen politicum mulctam 50 francorum irrogavit subditis svevis, qui auderent templa Catholicorum ingredi, et divinis officiis assistere. Comitia anno 1851 celebrata legem tulerunt, vi cujus quilibet subditus, cujuscumque aetatis, sexus et conditionis sit, examen ex catechismo lutherano subire tenetur. Item prohibuerunt congregationes in domibus privatis ad legenda Biblia. Ad munus professoris in Universitatibus nullus extraneus admittitur ex metu ne Catholici clam irrepent ad proselytos faciendos. Inde patet quam tolerantes sint Martini Lutheri asseclae, qui semper praedicant tolerantiam et conscientiae libertatem, nec non quibus vexationibus catholici in illo regno sint expositi (*).

§. 10. *Status Ecclesiae Catholicae in Borussia.*

Periodo V. H. E. Cap. II, §. 15 mentionem fecimus litium in Germania exortarum propter matrimonia mixta. Operae praetium est hanc quaestionem clarius et uberius ex-

(*) Eco universale dell'Aja.

ponere. Matrimonia mixta, seu matrimonia inter Protestantes et Catholicos iniri coeperunt in Hollandia, Belgio et Polonia. Benedictus XIV interrogatus 4 Nov. 1741 declaravit, matrimonia mixta in Hollandia et Belgio coram parocho et secundum leges civiles contracta esse valida; nihilominus exegit, ut proles ex matrimoniis mixtis natae sine sexus discrimine in Religione Catholica educentur. Haec pontificia declaratio innotuit etiam Polonis per Bullam anno 1748 editam, quae incipit: *Magnae nobis admirationis.* Fridericus II, Borussiae rex, praecepit ut usque ad annos discretionis mares in religione patris, et foeminae in religione matris educentur. Fridericus Guillelmus III vero anno 1803 mandavit, ut, si parentes tempore matrimonii circa futuram prolium educationem non essent concordes, omnes sine sexus discrimine in religione patris debeant educari. Quia vero pater plerumque erat protestans, ex legis dispositione Ecclesia protestantium magna incrementa capiebat. Anno 1825 hoc Regis decretum ad Silesiam, provincias rhenanas, et Vestphaliam fuit extensum. In provinciis septentrionalibus parochi catholici, Episcoporum mandatis obsequentes, reluctabantur mixtis matrimoniis benedicere, nisi contrahentes prius sponderent, proles sine sexus discrimine in Religione catholica educatum iri. Antistites provocati ad auxilium Regimini politico ferendum scripserunt ad Leonem XII Romanum Pontificem, qui morte praeventus responsum dare non potuit. Pius VIII vestigiis Benedicti XIV inhaerens, edito anno 1830 Brevi praescripsit, ut parochi catholici matrimoniis mixtis assistentiam praestent passivam, id est ceu testes tantum sint praesentes, nisi pars acatholica spondeat se permissuram, ut omnes proles Religione catholica instituantur. Comes de Spiegel, Archiepiscopus Coloniensis, anno 1834 cum equite de Bunsen, legato Borussico Romae, clam convenit, ut in regula benedictio semper debeat impertiri, et passiva assistentia nonnisi per modum exceptionis in casibus extraordinariis sit praestanda, cui conventioni etiam Episcopi Trevirensis, Paderbonensis, et Monasteriensis accesserunt. Archiepiscopus Coloniensis in instructione ad parochos suae dioeceseos data palam fecit, disciplinam Ecclesiae intuitu matrimoniorum mixtorum esse mitigatam, hinc eos posse sine piaculo legem civilem anno 1825 latam observare. Post hanc clandestinam conventionem primum Breve Pii VIII fuit promulgatum. Sedes Apostolica in cognitionem venit hujus clandestinae conventionis per Hommer, Archiepiscopum Trevirensem, qui in lecto mortis decumbens 10 Nov. 1836 suam retractationem ad Gregorium XVI misit. Anno superiori obierat Comes de Spiegel, Archiepiscopus Coloniensis, cui Comes Clemens-Augustus Drost-

Vischering suffectus est. Hic declaravit, conventionem a suo antecessore initam Brevi apostolico haud consonare, seque nec posse, nec velle imitari exemplum Confratris, qui morsibus conscientiae cruciatus in lecto mortis palinodiam cecinit. Regimen vero politicum anno 1837 catholicis animarum curatoribus imperavit, ut sine ulla conditione matrimoniis mixtis assistant et benedicant. Archiepiscopus huic mandato nervose se opposuit; quare fuit captus et ad propugnaculum Mindense ductus. Catholici, editis in Archiepiscopi Coloniensis defensionem scriptis, quae inter memorari meretur *Athanasius* a famoso Görres compositus, Regimen borussicum injustitiae et tyrannidis arguerunt. Gregorius XVI die 10 Decembris in Consistorio Cardinalium allocutionem habuit, qua fata adversa Ecclesiae Catholicae in Borussia deploravit. Anno 1838 a praefata conventione recesserunt etiam Episcopi Monasteriensis et Paderbonensis: Regimen vero politicum pudore suffusum anno 1839 Archiepiscopo Coloniensi licentiam dedit ad praedium suae familiae (Darfeld) se conferendi.

Simile dissidium exortum est in ea parte Poloniae, quae Regi Borussiae paret. Martinus Dunin, Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis, animadvertens matrimonia mixta causam esse religiosae indifferentiae, jam anno 1837 scripserat ad Regimen Borussicum, ut Bullam Benedicti XIV, vel Breve Pii VIII sineret excutioni dare, aut studeret aliam a Sede Apostolica ordinationem obtinere. Regimen politicum repulsam dedit; quare Archiepiscopus immediate ad ipsum Regem litteras misit, qui ei respondit praxim introductam immutari non posse. Archiepiscopus ad normam pontificiae allocutionis 27 Febr. 1838 edidit epistolam pastoralem, et animarum curatoribus vetuit matrimonia mixta benedicere, nisi pars acatholica sponderet omnes proles in Religione catholica instituendas esse. Regimen politicum ira incensum litteram pastoralem nullam et irritam declaravit, et Archiepiscopum criminis laesae majestatis, nec non inobedientiae apud Tribunal civile accusavit. Archiepiscopus ad Tribunal civile comparere recusavit; quam ob rem Berolinum citatus, ad carcerem unius anni et quinque mensium fuit condemnatus. Rex ei permisit, ut Berolini poenam lueret, unde feliciter elapsus Posnaniam petiit; sed iterum fuit captus et ad propugnaculum Colbergense deductus. Tota dioecesis pullas induit vestes. Summus Pontifex ejus animi magnitudinem laudavit; duodecim vero Americae Episcopi anno 1840 cum ad Clementem Drost, tum ad Martinum Dunin litteras miserunt, quibus ambos praedicabant viros vere apostolicos, et pro domo Israel fortiter pugnantes. Ita res se habebant usque ad diem septimam Junii 1840, qua Fridericus Guillelmus IV patri suo in regno successit.

Novus Rex rebus turbatis pacem restituturus, jam die 29 Julii 1840 Archiepiscopo Dunin facultatem fecit ad suam sedem redeundi. Anno 1842 eximius Praelatus, edita littera pastorali, Sacerdotes admonuit, ut ceu ministri Christi, qui venit animas non perdere, sed salvare, sive in sacro tribunali poenitentiae, sive ad infirmos vocati non recusent aures praebere iis, qui matrimonia mixta contraxerunt, cum conversio gratia Dei et poenitentia indigeat, atque Dei misericordia major sit, quam hominis injustitia. Ceterum praxis circa matrimonia mixta non solum in dioecesi Gnesnensi et Posnaniensi mansit intacta, sed etiam ab aliis Borussiae Episcopis fuit observata. Solus Comes Sedlenitzki, Episcopus Vratislaviensis in Silesia, maluit se munere abdicare, quam consentire. Rex Clementem Augustum Drost quoque plena donavit libertate declarans, eum nullius conjurationis participem fuisse. Archiepiscopus, ob infirmitatem, curam gregis sui commisit Joanni de Geissel Episcopo Spirensi, quem Papa Gregorius XVI, habito Ludovici Regis Bavariae, cujus subditus est Episcopus Spirensis, consensu, Coadjutorem perpetuum nominavit. Die 2 Martii 1842 Clero et populo per litteras significavit se, sicut Moises, usque ad mortem pro eis manus ad coelum elevaturum. Anno 1843 edidit in lucem librum, cui titulus: *De pace inter Ecclesiam et Civitatem,* in quo suae anteactae vitae rationem reddidit, et se ab omni labe purgavit. Postea profectus est ad limina Sanctorum Apostolorum, et invisit Gregorium XVI, qui laetitia gestiens fortem athletam ambabus ulnis suscepit, et deosculatus est. Roma in patriam redux ad praemia laborum suorum evolavit die 18 Octobris 1845. Horum duorum Archiepiscoporum vestigia persequantur Antistites catholici, et discant munia episcopalia exequi sine timore et adulatione. Ex malis Deus scit eruere bona. Hae lites inter ecclesiasticam et civilem potestatem exortae uberes tulerunt fructus: etenim ad ministerium cultus, praeter Protestantes, etiam Catholici adsciti fuere, placetum regium fuit abrogatum, Episcopis libertas data cum Sede Apostolica communicandi, et Antistitibus extra limites regni Borussiae degentibus animus inditus viribus utendi in bonum suarum Ecclesiarum. Motus populares anni 1848 etiam oculos principum Protestantium aperuerunt; nam Regimen politicum Borussiae, quod Antistites Catholicos injuste vexabat, persequebatur, suis sedibus exturbabat, in carcerem conjiciebat, et per suos Inspectores principia Protestantium in scholas catholicas introducere conabatur, tristi edoctum experientia jus inspectionis soli potestati ecclesiasticae reliquit. Nec satis. Rex Borussiae non solum magnam pecuniae summam contulit ad fabricam magnifici templi catholici Coloniensis complendam, verum etiam omnes Germanos excitavit, ut ad idem opus perficiendum aliquid contribuerent. Nihilominus, postquam cessavit tempestas, quae etiam in Borussia ruinam throni minabatur, Regimen politicum ad ingenium redire videtur; nam 16 Julii 1852 vigorem restituit legi, qua jure civitatis privatur quiscumque Romam petit, ut ibi Theologiae operam navet, ephemerides catholicas persequitur, Apologias Ecclesiae catholicae scribere vetat, defensores libertatis religiosae exilio mulctat, quae sors obtigit Hermano Müller acerrimus jurium catholicorum propugnator, et compilator Ephemeridum (Wolkshalle), quae Coloniae in lucem prodeunt (*).

§. 11. *Status Ecclesiae Catholicae in Regno Virtembergico, et Ducatu Badensi.*

Exemplum Clementis - Augusti Drost, et Martini Dunin dormientes Episcopos vicinarum regionum excitavit ita, ut tam in regno Virtembergico, quam in Ducatu Badensi Antistites Catholici a Regimine politico ampliorem agendi rationem postularent. In regno Virtembergico Mack, doctor et professor Theologiae in Academia Tubingensi, typis mandavit *Votum theologicum,* quo palam fecit quae jura Civitas teneatur Ecclesiae Catholicae restituere; quam ob rem a Regimine politico munere docendi fuit privatus. Hoc votum anno 1841 movit Keller Episcopum Nottembergensem, ut a secunda Camera patrocinium imploraret in favorem autonomiae ecclesiasticae. In specie autem petebat liberam Seminarii episcopalis directionem, et inspectionem in Clericos, majorem influxum in dignitatum ecclesiasticarum collationem, bonorum ecclesiasticorum administrationem, abolitionem poenarum statutarum in Clericos nolentes matrimoniis mixtis benedicere, suppressionem censurae relate ad scripta ecclesiastica, libertatem typographiae, et examen candidatorum pro beneficiis ab Episcopo instituendum. Cum Clerici jus principis in sacra impugnarent, idem Episcopus anno 1842 aliud scriptum ad secundam Cameram misit, quo flagitabat autonomiam Ecclesiae Catholicae per Constitutionem civilem concessam, libertatem beneficia ecclesiastica conferendi, Clericos delinquentes poenis afficiendi, Visitatores instituendi, denegandi in matrimoniis mixtis assistentiam activam, candidatos ad ordines sacros per se promovendi, eorumque qualitates examinandi, res ecclesiasticas administrandi etc. Insignis Praelatus apud Regimen

(*) Görres, Ecclesia et Status; Catholicus an. 1842 Supplem. p. 70; Sion an. 1842. N. 32; Scharpff. Praelect. H. E. Alzog, H. E. p. 1008, 1015.

politicum egit etiam, ut Doctor Mack muneri docendi restitueretur, sed frustra. In aliis quoque Provinciis Rhenanis professores Regimini politico invisi munere docendi fuerunt privati; quam sortem expertus est Doctor Kiffel professor Theologiae catholicae in Universitate Giessiensi, quia contra sacrorum reformationem declamavit. Post annum 1848 res in melius fuerunt mutatae, et Catholici sorte utcumque tolerabili fruebantur; etenim furente persecutionis procella etiam Principes Protestantes, metu amittendi principatus compulsi, Ecclesiae Catholicae jura usurpata restituerunt. Ast, sedatis populorum tumultibus, persecutiones in Catholicos recruduerunt.

In Ducatu Badensi potestas civilis decreta praeceptis divinis, Ecclesiae catholicae libertati, ejusque juribus et constitutioni adversa emisit, in sphaeram potestatis ecclesiasticae involavit, jura Archiepiscopi usurpavit, placetum civile introduxit, institutionem religiosam et bonorum ecclesiasticorum administrationem ad se attraxit, Religionem catholicam depressit, beneficia ecclesiastica contulit, ad examen candidatorum, antequam in Seminarium susciperentur, commissarium politicum misit, negotiis ad cultum divinum spectantibus se immiscuit; quare Hermanus Vicari, Archiepiscopus Friburgi-Brisgoviae, venerandus 80 annorum senex, animadvertens Ecclesiam Catholicam in Germaniae regionibus libertatem assequutam fuisse, vestigiis suorum Confratrum insistens, die 5 Februarii 1851 libellum supplicem Regimini politico porrexit, quo in spiritu humilitatis flagitabat, ut etiam in Ducatu Badensi jura et libertatem Ecclesiae Catholicae restitueret; ast non solum repulsam tulit, verum etiam Ducis ministri nova ediderunt decreta, quibus Ecclesiae catenas auxerunt. Archiepiscopus, officii sui memor, tam Regimini politico, quam Consilio ecclesiastico ex catholicis composito et rebus Ecclesiae Catholicae curandis destinato, demonstravit, juxta Ecclesiae canones collationem beneficiorum ad Archiepiscopum spectare, et principi tum solum jus competere praesentandi, cum is ostendere potest fundationem beneficii ab ipso factam fuisse, declaravitque susceptionem Clericorum in Seminarium ab Archipraesule unice pendere, cum solus Archipraesul Sacramentum Ordinationis administret. Regimen politicum Archiepiscopo respondit, ejus postulata jura principis violare, esseque legum civilium transgressiones, et cum perperam exegisset, ut ea revocaret, 7 Martii 1853 Praelato usum jurisdictionis interdixit, litteras ad oves suas mittere sine auctoritatis civilis approbatione vetuit, libertatem acta typis mandandi ademit, et subditis poenas intentavit, si mandata Archiepiscopi

executioni darent. Archiepiscopus minime territus, zelo domus Dei inflammatus, et potestate a Christo accepta utens, sine ullo ad auctoritatem civilem respectu, beneficia ecclesiastica contulit, cultum Religionis externum ordinavit, candidatos ad Seminarium admisit, et 11 Novembris 1853 litteram pastoralem, quae venerando seni gloriam et honorem comparavit, ad Clerum et populum misit, qua sine timore Regiminis politici injustitiam patefecit, suam agendi rationem ab omni labe purgavit, et Clericis sub poena suspensionis injunxit, ut epistolam pastoralem a suggesto fidelibus palam facerent, dicens, Deo magis, quam hominibus obediendum esse. Clerici vocem Pastoris audientes, ejus mandato obsequuti sunt adeo, ut quidam parochus lumine oculorum destitutus a matre sua curaverit litteram pastoralem tam diu sibi praelegi, donec eam memoriae mandavit, et suis parochianis solus in Ecclesia promulgavit. Quia vero Consilium ecclesiasticum, quaerens quae sua erant, non quae Jesu Christi, jussa Regiminis politici inconsulto et cum Ecclesiae Catholicae detrimento exequebatur, Archiepiscopus Consiliarios frustra monitos, ut aliam agendi normam officiis Catholicorum consonam peterent, die 14 Novembris 1853 excommunicavit, Leonardo vero Laubis et Joanni Baptistae Maier praeter excommunicationem etiam suspensionis poenam inflixit (*). Succensuit Praelato Regimen politicum, et die 24 Novembris 1853 notificavit, litteram pastoralem Archiepiscopi auctoritatis civilis approbationem non obtinuisse, hinc puniendos omnes, qui auderent eam in Ecclesiis promulgare, et quidem mulcta non minori 10 fl. plectendos esse, pro illis autem qui jam in carcere inclusi erant, poenam carceris in mulctam pecuniariam commutari posse. Post promulgationem epistolae pastoralis circa 150 Sacerdotes in vincula conjecti fuere. Hisce Regimen politicum promisit libertatem, si confiterentur se errasse, cui omnes responderunt se non errasse, sed legitimo Superiori obedientiam praestitisse. Hensler, cui Archiepiscopus parochiam Constantiae contulerat, ab auctoritate civili beneficio fuit privatus, et vi Constantia pulsus. Officialibus civilibus, qui decreto Regiminis politici se opposuerunt, munera fuerunt adempta; quae sors obtigit Urbis Heidelbergensis Directori. Archiepiscopo et Clericis erepti fuerunt proventus temporales; sed postquam fama hujus injustitiae et crudelitatis Regiminis Badensis percrebuit, ex tota Europa Catholici non solum elevarunt vocem, verum etiam quidam nobiles et divites Archiepiscopo obtulerunt palatia, do-

(*) Praeter Laubis et Maier fuerunt a communione ecclesiastica exclusi Leo Augustinus Prestinari, Augustinus Kinberger, Antonius Kusswieder, Philippus Forch, Carolus Schmitt, et Guilelmus Carolus Müller.

mos, praedia, pecuniam, casu quo suo episcopio ejiceretur, alii collegerunt stipem ut et Archiepiscopi et Clericorum indigentiis subvenirent, alii tandem litteras miserunt, ut eos laudarent, solarentur, et ad continuandum certamen animarent. Universa Ecclesia Catholica applaudit, et ad astra effert animi magnitudinem et virtutem tam Archiepiscopi, quam Clericorum, qui vexationem, persecutionem, carceres, catenas, bonorum temporalium privationem malunt perferre, quam officiis suis deesse (*).

§. 12. *Status Ecclesiae Catholicae in Hibernia et Scotia.*

In Hibernia perversi a coetu Acatholicorum homines conantur fidem catholicam radicitus evellere, ut in ejus locum lolium hypocrisis et infidelitatis crescat. Hi erroris et seductionis emissarii sunt quidem in varias sectas divisi, sed intime conjuncti et furentes contra Ecclesiam Catholicam, quam conviciis proscindunt et prosequuntur. Dici haud potest quibus artibus utantur, quae media adhibeant, ut scopum suum assequantur. Ad pervertendas animas sanguine Jesu Christi redemptas vires corporis et ingenii perfundunt. Erigunt scholas, ut tenellae juventuti odium contra Religionem catholicam instillent. Cibo, vestibus, pecunia pueros catholicos ad se alliciunt. Orphani militum catholicorum, qui pro patria moriuntur, a Regimine politico obligantur catechismum anglicanum discere, ut ad abjurandam majorum suorum fidem inducantur. Societas proselitismi anglicani Biblia protestantica, libellos, fasciculos, ephemerides, scripta diversi generis plena odii et calumniarum in Catholicam Religionem in plateis, compitis, domibus, tuguriis, locis abditis gratis distribuit. Pastores protestantes ex suggesto Religionem Catholicam, ejusque ministros conviciantur, derident, contemnunt. Homines pecunia conducti tota die per civitates, pagos et rura circumeunt, et dum vident egenos catholicos clamitant: « venite ad nos, abjurate vestram fidem, et indigentiis vestris opem feremus ». Vestigiis inhaerent Tentatoris, qui Christo dicebat: « Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me ». Promittunt Catholicis temporalia, ut amittant aeterna. In Collegiis professores protestantes Religionem Catholicam suis auditoribus exosam reddere student. Tam magnis periculis Religio catholica defungitur, ut ad eam conservandam Catholici fuerint coacti pro institutione juventutis catholicae propriis sumptibus fundare Universitatem, cujus Rector electus fuit celebris Newman.

(*) Ephemerides eccles. Darmestad. 1842. N. 16; Catholicus 1841, 1842; Sion N. 46; Alzog. H. E.

Sorte haud meliori fruuntur Catholici in Scotia. Ibi quoque Protestantes Catholicos ceu Pareas, id est ceu homines degeneres, ignorantes, et fecem populi considerant, vexant, injuriis afficiunt, Religionem Catholicam, ejusque ministros risui et contemptui exponunt. (*)

§. 13. *Status Ecclesiae Catholicae in Helvetia.*

Seditio, quae anno 1830 in Gallia erupit, etiam in vicinam Helvetiam influxum exercuit; etenim Constitutio omnium fere Pagorum fuit immutata et ubique elementa liberalia irrepserunt ita, ut sic dicti *Radicales*, id est homines irreligiosi summa rerum potirentur. Ab eo tempore Helvetia evasit refugium hominum seditiosorum, et focus seditionis; ab eo tempore Ecclesia Catholica variis tempestatibus fuit exagitata. Democratici Tigurini animadvertentes populum ab incredulitate ad Religionem redire, ex Germania vocarunt Doctorem Strauss Hegelii discipulum, qui in Vita Jesu Christi Tubingae edita anno 1835 docuit, Evangelium esse farraginem idearum, commentorum, ac praeceptorum diversi temporis et diversae opinionis, Christum individuum, seu ideam, vel potius genus, idest humanitatem, genus humanum, Deum hominem factum, virginis visibilis et patris invisibilis filium, hoc est materiae et spiritus, salvatorem, redemptorem, impeccabilem, qui moritur, resurgit, et in coelum ascendit, credentes in hunc Christum ejusque mortem, resurrectionem, et ascensionem, in conspectu Dei justificari. Strauss in sua Christologia cum Philone Judaeo convenit. Reformati et *Radicales* videntes Ordines Religiosos pugnare pro domo Israel, in hos iram evomuerunt. Cum illi Rempublicam administrarent, Lucernae duo Franciscanorum Conventus fuerunt aboliti. Mutato regimine cives Lucernenses a Gregorio XVI petierunt, ut abolitionem approbaret. Papa consensit sub conditione, ut ex eorum bonis Seminarium erigerent, et Societati Jesu traderent. Septem Jesuitae invitati Friburgo Lucernam profecti sunt pro instituenda juventute. Nuntius Apostolicus anno 1843 Lucernam reversus: Praelatus de Mule ab omni culpa et poena immunis declaratus est. Pax videbatur restituta; ast Protestantes et Radicales Jesuitas tolerare non poterant. Anno 1845 bina vice tentarunt eos exturbare, et cum nihil efficere possent, furore inflammati armata manu totam invaserunt regionem; sed Catholici non solum eorum aciem profligarunt, ve-

(*) Lettera di Monsignor Paolo Cullen Primate dell' Irlanda del 29 Decembre 1852 al Redattore dell' Univers.

rum etiam coeperunt Doctorem Steiger, expeditionis ducem, qui criminis convictus gratiam imploravit et fugit. Catholicis in bello contra Radicales ceu Caput praeerat Josephus Leu, rusticus ingenio et fortitudine clarus, nec non Religionis catholicae insignis defensor, quem populus singulari amore prosequebatur. Josephus Leu ex insidiis fuit occisus a Jacobo Müller, qui in poenam commissi delicti capite fuit minutus. In hisce rerum adjunctis Lucerna cum reliquis Pagis, partim ob mediorum defectum, partim ob metum hostium, ad propriam defensionem fuit coacta accedere ad foedus speciale (Sonderbunde), cujus incompatibilitatem cum foedere constitutionali Bossard, edito scripto, demonstravit. Anno 1846 in publico conventu fuit agitata quaestio de solutione foederis specialis (Sonderbunde); sed majoritas votorum defuit. In alio conventu anno 1847 celebrato, cui praeerat Ochsenbein, dux liberae cohortis, decisum fuit foedus speciale cum pacto generali consistere non posse, per consequens solutum esse. Haec decisio peperit bellum Sonderbundense septem Pagis catholicis funestum; etenim Radicales impetum fecerunt in Catholicos, eorum urbes invaserunt, domos spoliarunt, claustra devastarunt, Jesuitas, Redemptoristas, aliosque Monachos et Monales ex suis Asceteriis pepulerunt, magnam copiam sanguinis fuderunt. Tellus vidit, et tremuit, orbis totus obstupuit, et *Radicalium* non minus injustitiam, quam crudelitatem execratus est. Ubique sub armorum tutela Rectores Reipublicae electi fuere *Radicales*, quorum potestas per gallicam seditionem anno 1848 exortam fuit magis consolidata. Novum Regimen Friburgense, obtento aliorum Pagorum consensu, Stephanum Marilly Episcopum Lausoniensem et Genevensem a sua Sede ejecit, et ad arcem *Challon* relegavit. In tota Helvetia, jussu regiminis politici, Claustra Jesuitarum clausa, et circa 40 Monasteria abolita fuere. Druey, pacti generalis praeses, 3 Maji 1850 in conventu generali non est veritus dicere, leges morales et juridicas in politica parvi pendendas esse (*). Perfecto bello Sordenbundense magnum Consilium Valliaense a *Radicalibus* coactum omnes religiosas Communitates abolevit, et Monachos Conventus S. Bernardi adegit ad summam 150,000 francorum solvendam, quam pecuniam cum superior numerare detrectaret, fuit captus et carceri mancipatus. Rectores Pagi Friburgensis, emisso 11 Octobris 1850 decreto, Catholicis liberum Religionis exercitium ademerunt, promulgationem actuum et scriptorum ecclesiasticorum interdixerunt,

(*) Scharpff Prael. H. E. fasc. II, p. 230-233; Civiltà Cattolica anno III, vol. X, p. 337. Cantù Storia di 100 anni Vol. III, p. 104-107.

constitutionem Ecclesiae catholicae, auctoritatem Sedis Apostolicae et Episcoporum, nec non constitutionem civilem multifariam et graviter laeserunt; contra quam laesionem G. Bovieri, Nuntius Apostolicus Lucernae residens solemniter reclamavit. Anno 1851 Protestantes Bernenses usurparunt et vendiderunt omnia bona Conventus S. Urbani. Magistratus Lucernensis praedium, quod ad Monasterium Eschenbachense spectabat, cuidam diviti Badensi venundedit. In Pago Genevensi catechismis catholicis surrogati fuere protestantici. In Pago Ticinensi Magistratus Ecclesiam catholicam omnibus juribus spoliare conabatur, pro erudienda juventute in locum Congregationum religiosorum substituit exules Radicales sine fide, sine lege, sine patria, quibus Stephanus Fransini, et Josephus Mazzini principia inspirant. Bartholomaeus Romilli, Archiepiscopus Mediolanensis, et Carolus Episcopus Comiensis die 22 Maji 1852 contra hanc jurium ecclesiasticorum violationem reclamarunt quidem, sed Magistratus respondit, Antistites in Pagum Ticinensem nullam habere jurisdictionem. Anno 1852 in quodam diversorio Pagi Bernensis affixa fuit sequens formula sub titulo *Fides Helvetica*: « Credo in patriam Helveticam, matrem potentem, et in libertatem filiam Helvetiae unigenitam, quae concepta est a sano hominum intellectu, in lucem edita a divina ratione anno 1308, passa sub equitibus et presbyteris, per plura saecula crucifixa, mortua et sepulta anno 1814, quamque Aristocratici et cives nebulones ad inferos relegare conabantur, post 16 annos a morte resuscitata pectora bonorum hominum, et potissimum juventutis invasit, ut esset norma. Credo in spiritum humanum, qui vinculis ignorantiae solutus debet erudiri et nobilitari. Credo in universalem fraternitatem *Liberalium* subjugatorum in Hispania, Lusitania, Germania, Polonia et Italia. Credo in communionem omnium Societatum patriam diligentium, in abolitionem omnium tributorum et vectigalium, in resurrectionem omnium jurium hominis, ac tandem in felicem et liberam vitam democraticam » Ex his satis superque elucet status Ecclesiae Catholicae in Helvetia (*).

§. 14. *Arcanae Societates*.

Ubique gentium extant *Arcanae Societates*, quarum scopus est altaria et thronos evertere. Anno 1831 Cyrus Menotti, qui de Duce Mutinensi interficiendo conjuraverat, ad patibulum ductus exclamavit: « Nolite confidere in promissionibus

(*) Ephemerides Catholicae Tyrolenses 1852. Num. 18.

extraneorum ». Haec verba cum veneratione suscepit Societas arcana tum formata, cujus praesès Josephus Mazzini Genuensis, et cui nomen: *Juvenis Italia.* Haec societas cum per scripta, tum per emissarios Italos excitat ad arma capessenda, extraneos pellendos, principatus evertendos, et Rempublicam, cujus caput sit Roma, fundandam, ut Italia una et indipendens evadat. Dici vix potest quam infesta sit haec societas Ecclesiae et Civitati, quanta mala seminaverit. In Gallia sunt societates *Socialistarum* et *Communistarum*, quae libertatem, fraternitatem, et aequalitatem praedicant, communionem bonorum, Rempublicamque universalem introducere conantur. Similes Societates dantur etiam in Germania. Primipili harum Societatum Josephus Mazzini, Ledru-Rollin, Aloysius Blanc, Gustavus Struwe, Adolphus Ruge, Ernestus Hang, Godfridus Kienkel, Joannes Rouge, Ludovicus Cossut sedem suam fixerunt Londini, unde scripta incendiaria mittunt in Italiam, Galliam, Germaniam, Hungariam, ut incolis venenum suorum principiorum instillent, Clericos et Principes exosos reddant (*a*).

§. 15. *Fata Ecclesiae Catholicae adversa in Asia, China, Conchinchina, Madagascar, et Nova Granata.*

In Asia, et quidem in Insula Teilac-Pion anno 1851 infideles Capellam Catholicorum solo aequarunt, omnia vasa sacra et suppellectilia diripuerunt, et filium custodis Capellae, nomine Ape, catenis cinctum carceri manciparunt, ubi aerumnis confectus vita decessit. In U-Quang catholicus animarum pastor, et alii 300 Christiani manibus et pedibus ligati, nec non verberibus affecti in carcerem conjecti sunt. Speciatim D. Vachel, missionarius ex Congregatione Lazaristarum, prius fuit flagellis crudeliter caesus, dein custodiae traditus, in qua una cum alio Sacerdote, qui munere cathechetae fungebatur, ad praemia laborum et tormentorum suorum evolavit (*b*).

Imperator Toakouang Christianis in Sina commorantibus liberum Religionis exercitium concesserat, ast eo mortuo Legu, primarius imperii coelestis minister et Religioni Christia-

(*a*) Quam tristis fuerit Ecclesiae catholicae status in tota Europa inde ab anno 1848 colligitur ex Bulla Pii IX, 3 Julii 1850 edita, qua Summus Pontifex omnibus orbis catholici Episcopis injunxit promulgationem indulgentiae plenariae in forma Jubilaei, ut Pater luminum et misericordiarum, a quo omne datum optimum, tempestatem in fugam ageret, dissiparet nubes, imperaret ventis, Ecclesiae suae tranquillitatem restitueret, zelum suorum ministrorum augeret, fidem et flammam charitatis in populo christiano accenderet.

(*b*) Clero Cattolico anno III. Num. 4.

nae infensus, anno 1852 saevam in Jesu Christi asseclas movit persecutionem, in qua plurimi coronam martyrii adepti sunt. In provincia Pekinensi nonnulli Christiani exilio mulctati fuere. In Ho-Kau anno 1852 tempestas necdum furere desierat. In Kinsny Christi cultores fuere verberibus affecti. In omnibus imperii provinciis Mandarini populum ad persequendos christianos, et potissimum Evangelii praecones concitant.

In Conchinchina anno 1852 Religionem catholicam, non sine fructu, praedicabat Thomas Schoafter ex Hollandia oriundus, juvenis viginti annorum. Delatus ad tribunal Mandarinorum, horum jussu captus, et manibus pedibusque ligatus ad principem urbem Huc-Fo fuit ductus, ubi infixo stipite necatus est. Christiani indignati tumultuabantur quidem, sed decem millia armatorum eorum indignationem continuerunt.

In Madagascar, vastissima Africae Insula, nominatim in regno Ankovas, dum 800 Christiani cultum Religionis exercerent, Renevels, minister Reginae, immisit apparitores, plures comprehendi, et horum octodecim supplicio affici jussit. Reliqui christiani confugerunt ad domum Radama filii reginae, et principis haereditarii, quem sciebant sibi addictum esse. Minister Reginae, mandato instructus, adivit principem, et postulavit ut omnes Christianos traderet; sed juvenis princeps parere recusavit. Cum minister insisteret, princeps ira inflammatus evaginavit gladium, et ministro, sicut Petrus Malco, auriculam abscidit. Mediatione aliorum ministrorum ira principis fuit placata, et Regina persecutioni finem imposuit.

In Nova Granata Regimen politicum, emisso in lucem decreto die 20 Maji 1850, ex toto Reipublicae territorio Jesuitas pepulit, et ad solvendam summam 60,000 francorum condemnavit. Ex hactenus dictis liquido fluit, Ecclesiam Catholicam et in Europa et extra Europam hac periodo variis vexationibus, et persecutionibus obnoxiam fuisse. Ad exemplum sui divini Fundatoris ejus sors est pati, et ita in gloriam intrare (*).

CAPUT III.

DE ECCLESIAE GUBERNATIONE ET HIERARCHIA ECCLESISTICA.

§. 1. *Pontificatus Pii IX.*

Joannes Maria illustri Comitum Mastai-Ferretti prosapia ortus est Sinigalliae 13 Maji 1792. In Collegio Volaterrano statui suo convenienter educatus, et militiae ecclesiasticae adscri-

(*) Clero Cattolico Anno III, N. 6, N. 34, 1850; Ami de la Religion.

plus Romam petiit, ubi Canonicus Ecclesiae S. Mariae in Via Lata electus est. Non diu post a Sede Apostolica missus fuit in Americam meridionalem, ut munere Auditoris causarum ecclesiasticarum fungeretur apud Nuntium Apostolicum in Republica Chiliana. Inde Romam revocatus, anno 1821 Tertio Ordini S. Francisci in Ecclesia Patrum Reformatorum Recessus S. Bonaventurae nomen dedit. Summus Pontifex Leo XII anno 1827 eum ad dignitatem Archiepiscopi Spoletani promovit, quo in gradu charitate in pauperes eminuit. Anno 1829 in Ecclesia Fratrum Minorum Reformatorum regulam tertii Ordinis S. Francisci professus est. Anno 1832 Gregorius XVI eum ab Archiepiscopatu Spoletano ad Sedem Imolanam transtulit, et 23 Decembris 1839 Cardinalem tituli SS. Petri et Marcellini creavit. Mortuo die 1 Junii 1846 Gregorius XVI, in conclave, quod duobus tantum diebus duravit, die 17 ejusdem mensis et anni fere unanimiter ad Solium S. Petri evectus nomen Pii IX in Pontificatu assumpsit (*). In suprema Ecclesiae Jesu Christi specula positus thesaurum Indulgentiarum aperuit, et Jubilaeum celebravit, nec non epistolam pastoralem ad universum orbem catholicum misit, qua, sicut ejus decessor, invectus est in rationalismum, indifferentiam religiosam, societates biblicas, effraenem scribendi licentiam; quavis autem occasione palam fecit, se ante omnia esse Vicarium Jesu Christi, Pontificem catholicum, omnium fidelium Patrem et Pastorem, Centrum unitatis ecclesiasticae, jurium Sedis Apostolicae vindicem. Concessione libertatis legalis arbitratus est, se posse igni serpentium seditionum materiam subtrahere, et animos seditiosorum hominum cum Religione conciliare. Cum medietas Europae liberales institutiones flagitaret, rerum adjunctis et subditorum suorum desiderio satisfacturus, per novam Constitutionem homines inquietos sibi devincere studuit. Ut maestas familias solatio afficeret, exules in patriam revocavit; quae Pontificis clementia ab omnibus effuse laudata talem exeruit influxum in reos, ut eorum plures ad magnanimi Pastoris pedes provoluti errati veniam impetrarint. Ignis seditionis aqua christianae charitatis et mansuetudinis extinctus videbatur. Postea optimus Pater subditis, quos diligebat, largitus est municipalem constitutionem, quae aliarum legum fundamentum et norma esse debebat. Nomen Pii IX erat in ore omnium, qui putabant se in eo videre pietatem Pii V, firmitatem Sixti V, votum Julii II. Benignitas Vicarii Jesu Christi, cujus virtutes ad astra efferebantur, etiam inimicos Ecclesiae et Religionis catholicae ad se attraxit. Mundus totus ejus clementiam et bonitatem admirans canebat. Sed factio illa, quae Italiam ab extraneis liberam et Rempublicam cupiebat, nomine Pontificis abuti coepit, ut, quod animo intendebat, perficeret. Pius abusui sui nominis totis viribus se opposuit; quam ob rem ingrati filii amorem in odium converterunt, et in ejus perditionem conjurarunt (*).

(*) Die, qua fuit in solio collocatus, haec inscriptio Romae legebatur:

PIO IX PONTIF. MAXIMO
QUOD INSTINCTU PIETATIS
MENTISQUE MAGNITUDINE
IN IPSO SAC. PRINCIPATUS EXORDIO
URBEM ET ORBEM
IN SPEM MANSURAE FELICITATIS
EREXIT.

§. 2. *Opiniones circa gesta Pii IX.*

Munus historici est narrare omnia, quae ad suam messem spectant, ne posteri defraudentur. Ab origine Ecclesiae christianae ad nostram usque aetatem nullus unquam Romanorum Pontificum tam brevi temporis spatio mundum universum in sui admirationem traxit, ut Pius IX; etenim Catholici, haeretici, schismatici, Judaei, Musulmani, verbo omnes sine discrimine sexus, aetatis, conditionis, religionis, opinionis, praedicabant eum esse hominem singularis ingenii, recti cordis, multae doctrinae, acuto judicio, vivacitate ad res magnas gerendas praeditum, in propositis animo constantem, patrem benignum, humanae familiae reparatorem, a Deo missum ad bonum omnium populorum promovendum, ejus effigiem habebant in domibus, ferebant in sudariolis, strophiolis, annulis, aciculis, baculis, pyxidibus, ejusque nomini ore et corde benedicebant. Verum postquam in Italia et imperio austriaco seditio erupit, homines circa gesta Pii IX in diversas abiere opiniones. Radicales, filii tenebrarum, ante quorum oculos non est timor Dei, qui ambitione inflati thronos evertere, summa rerum potiri, et tyrannidem in populos exercere nitebantur, nomine gloriosi Pontificis abuti, eumque benedictionibus et laudibus cumulare pergebant, in suisque ephemeridibus, ut aliis fucum facerent, asserebant Pium IX velle Italiae unitatem et independentiam, minari excommunicationem omnibus, qui patriae liberationi cooperari reluctarentur, vexillis cruciatorum benedicere, milites in Longobardiam mittere ad auxilium Carolo Alberto ferendum. Plures, cetera probi homi-

(*) Biografia degli uomini illustri dell'Ordine di S. Francesco del P. Sigismondo da Venezia; Notice biographique par Henri Brétonneau.

nes, ab illis fascinati talem fovebant opinionem. Ast occupato a Gallis, Austriacis, Hispanis et Neapolitanis S. Petri patrimonio, et Pio Sedi suae restituto, illi qui supremum Ecclesiae Pastorem amore et honore prosequi mentiebantur, impudenti ore dicere non erubuerunt, cum ad dominium temporale recuperandum vocasse Romam unitatis et independentiae italicae hostes, patriam et libertatem prodidisse. Alii contra falso opinabantur, Pium IX fomitem seditionis accendisse, ejusque agendi rationem causam fuisse malorum, quibus homines affligebantur, atque propterea non verebantur dicteriis et calumniis proscindere Christi Vicarium, Petri Successorem, optimum Patrem, qui nihil aliud intendebat, quam perstrepenti procellae occurrere, ignem seditionis extinguere, animos reconciliare, abusus reformare, et sortem suorum subditorum meliorem reddere. Hos et illos turbolentis animi motibus magis, quam rationis lumine actos fuisse, nemo non videt. Pontifex horum certior factus in Allocutione ad Cardinales habita die 29 Aprilis 1848 memoravit injurias sibi illatas, declaravit se nihil aliud fecisse, quam quod Aulae Gallica, Austriaca, Russica, Borussica, et Britanica a suo Antecessore jam anno 1831 flagitabant, et asseruit alios terrae principes se potentiores motibus suorum populorum obicem haud ponere potuisse. Viri sapientiores, prudentiores, et moderatiores omnium nationum, Pii IX animum, ingenium, indolem, characterem, clementiam, bonitatem, sinceram pietatem, intentionem, et consilia laudibus attollunt, et omnia ejus gesta benigne interpretantur (*).

(*) Guidus Görres in ephemeridibus historico-politicis Monachii ita loquitur de Pio IX: « Pio era ed è un fedele cattolico, un pio Sacerdote, nella vita privata una degnissima persona, sul trono un vero Padre. Ha pieno dominio di sè stesso, e sovente il sorriso nasconde il profondo dolore della sua bell'anima. Egli è italiano di tutto cuore; ma sopra l'italiano sta il Papa, sopra la nazione la Chiesa. Egli è penetrato dell'alta idea della sua apostolica dignità, di cui è conscio anche nelle familiari conversazioni. Nel parlare è snello e vivace, nell'agire pronto e costante. Dolcezza e bontà di cuore sono le qualità dominanti del suo carattere, ma non discendono mai alla debolezza, poichè il dovere va innanzi...... È l'uomo della preghiera. »

(*) En Italie les evénements ont pris des proportions plus larges. Le grand Pie IX, dont nous avons, dans notre dernière édition, applaudi la prudente et généreuse entreprise de faire accorder la Religion et la liberté, bien qu'il n'ait pas recuelli immédiatement lui-même tout le fruit de cette tentative, n'en a pas moins rendu par là à la Religion et à la société un service immense, qui lui assignera à jamais dans l'histoire du monde et de l'Eglise une de plus glorieuses places. A la veille de l'orage qui allait se lever sur la France et sur l'Europe, et qui ne menaçait pas moins l'Eglise que les societés politiques et civiles, cet avisé pilote, visiblement suscité par Jesu-Christ pour faire franchir à la barque sacrée un des écueils le plus dangereux qu'elle devait rencontrer sur son passage à travers les siécles, a pris hardiment les devants, en allant à la rencontre de la démocratie, comme saint Léon fut autre fois à la rencontre d'Attila. Par là il a obtenu deux résultats mémorables, qui ont influé et qui influeront hautement sur la crise que nous traversons: il a accrédité la Religion aux yeux de la bonne démocratie, et il a discrédité la mauvaise démocratie aux yeux de l'opinion. » (Études philosophiques sur le christianisme par Auguste Nicolas t. 4, c. 8, p. 354).

§. 3. *Auctoritas Romani Pontificis.*

Auctoritatem Primatis universalis supra Ecclesiam sive dispersam, sive congregatam Catholicorum impugnat nemo. A quo principia Febronianismi et Gallicanismi fuerunt ex scholis eliminata, Theologi catholici tuentur sine legitimo Pontifice, vel ejus legato non dari Concilium generale, auctoritatem legitimi Pontificis unitatem fidei et communionis servantis et bonum Ecclesiae promoventis esse quocumque Concilio superiorem, Papam legitimum ad nullum tribunal citari, a nemine, nisi a solo Deo, judicari posse. Omnes catholici uno ore confitentur, Ecclesiam Romanam esse primam in orbe Ecclesiam, ad quam propter potentiorem principalitatem omnes fideles convenire oportet, Summum Pontificem, Successorem S. Petri, Doctorem universae Ecclesiae, Patrem omnium fidelium, supremum Pastorem, Caput Episcoporum, Centrum unitatis fidei et communionis, ipsum habere potestatem pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam, et ad ipsum causas majores esse referendas. Reapse lites circa matrimonia mixta in Germania exortas Episcopi ad Sedem Apostolicam detulerunt, et tum Pius VIII, tum Gregorius XVI, tum Pius IX normam praescripserunt, ad quam debent se dirigere. Pius IX, perstrepentibus Acatholicis, sua auctoritate Hierarchiam ecclesiasticam in Anglia, et Hollandia restituit. Juribus Sedis Apostolicae derogare conatus est Joannes Nepumocenus Nuyts, professor Juris Canonici in Universitate Taurinensi, cujus Institutiones Jurisprudentiae ecclesiasticae Pius IX diris devovit. Deterior est A. Bianchi-Giovini, qui, uti notavimus, in sua Historia Romanorum Pontificum auctoritatem Supremi Ecclesiae Pastoris non ex Christi institutione, sed ex Episcopi Romani ambitione repetit, et cum falsa Scripturae sacrae interpretatione, tum subdola Scriptorum ecclesiasticorum primae aetatis citatione suam assertionem confirmat. Hoc opus sexcentis mendaciis refertum, plures monumentorum antiquorum ignaros seduxit, eisque odium contra Christi Vicarium instillavit.

§. 4. *Lites de potestate temporali Romani Pontificis.*

Lites de potestate temporali R. Pontificis sunt ita quasi antiquae sicut dominium Ecclesiae. Quemadmodum sinceri catholici dominium temporale R. Pontificis semper defenderunt; ita non defuerunt homines, qui illud impugnarunt. Saeculo X Petrus Crescentius nobilis romanus, saeculo XII Arnaldus Clericus Brixiensis, saeculo XIV Stephanus Porcari,

Romae nobili genere natus, saeculo XVIII Galli, saeculo XIX Napoleon I, et Mazziniani enisi sunt Romanum Pontificem potestate temporali exuere. Democratici passim cum ore, tum calamo clamitant dominium temporale R. Pontificis esse maximum unitati, et independentiae nationis italicae obstaculum adeoque omnibus modis removendum; et cum alia arma ad certandum non habeant, regimen pontificium denigrant, infamant, et exosum reddere student. Nicolaus Tommaseo, Sebenici in Dalmatia natus, cujus ingenio et sedulitati plura opera litteraria debentur, anno 1851 idiomate gallico scripsit et typis mandavit librum, cui titulus: *Rome et le Monde*, in quo ex ratione, Scriptura Sacra, et textibus sanctorum Ecclesiae Patrum argumenta deprompsit ad demonstrandum, quod post populorum italicorum motus, habito ad genium temporis et rerum adjuncta respectu, potestas temporalis R. Pontificis cum potestate spirituali, et italicae nationis bono non possit amplius consistere, et audacter dicit rem nostris diebus eo devenisse, ut summus Pontifex in suae nationis gratiam sponte debeat dominio temporali renuntiare, secus natio insurget, et eum violenter privabit. Audax homo ad conscientiam Pii IX suum librum direxit, et in proemio has sibi ponit quaestiones: « Potestas temporalis, quae tot malorum causa extat, est ne Ecclesiae reapse necessaria? Est ne in praeceptis sui divini Institutoris fundata? Argumenta, quae in ejus favorem adducuntur, sunt ne ex ratione, revelatione et historia deprompta? » Scripsit gallice, ut erudiret Gallos, qui armata manu Summo Pontifici dominium temporale restituerunt. Tulchoff, imperatoris Russorum consiliarius, anno 1852 publici juris fecit opus inscriptum: *Papatus*, in quo laudat Italos eo quod Papatum eradicare, et illimitatam conscientiae libertatem introducere conati fuerint. Contra hos Patrimonii S. Petri osores calamum strinxerunt F. Dupanloup, Sacerdos Gallus, nunc Episcopus, in *Dissertatione de dominio temporali Papae*, Laurentie, qui validis argumentis confutavit Tulchoff, et Compilatores Ephemeridum Catholicarum. Laudati scriptores adversariis ostenderunt, non solum decere, verum etiam necessarium esse, ut Summus Pontifex dominium temporale possideat, ne ad vitam sustentandam et sumptus tegendos cogatur stipem emendicare, a terrae principibus dependere, et dum ex Cathedra loquitur sibi temperare.

§. 5. *Conamina Episcoporum Germaniae jura amissa recuperandi.*

Cum fere tota Europa commoveretur, et ad ampliandam libertatis sphaeram tenderet, etiam Episcopi diversarum nationum evigilarunt. Nemo ignorat, quibus catenis terrae principes Ecclesiam Jesu Christi cinxerint, eamque sibi ancillari coegerint. Antistites Catholici, motibus populorum a somno excitati, studuerunt Ecclesiam vinculis solvere. Hunc in finem mense Novembri 1848 viginti quatuor Episcopi Germaniae Herbipoli celebrarunt conventum, ad quem etiam Fridericus princeps de Schwarzemberg, Archiepiscopus Salisburgensis, Maximilianus Josephus Archiepiscopus Olmutiensis, et Bernardus Episcopus Brixinensis legatos miserunt. In hoc conventu sequentia definiverunt: 1) Se non velle separationem Ecclesiae a Civitate, sed ejus libertatem et independentiam; 2) Se pacis causa observaturos leges charitatis et justitiae intuitu aliarum religionum, non tamen indifferentiam religiosam toleraturos; 3) Se exigere a Civitate jus erigendi et dirigendi Seminaria, aliaque Instituta scholastica in sensu latissimo, eis invigilandi, fundos pro scholis destinatos conservandi, libros de Religione tractantes praescribendi, religiosam institutionem in scholis tam inferioribus, quam superioribus curandi; 4) Episcopis competere jus examinandi vocationem et scientiam eorum, qui ad statum ecclesiasticum aspirant, in suis dioecesibus cultum divinum per se ordinandi, et Synodos celebrandi; 5) Ecclesiam, dummodo in suae potestatis exercitio sit libera, generi humano benefacere; 6) Ecclesiae jus esse bona sua administrandi; 7) Unionem cum Romano Pontifice nationi Germanicae non esse infestam, et Episcoporum subjectionem erga Caput Ecclesiae ad catholicam unitatem necessario spectare; 8) Suspiciosam inspectionem in ea, quae Pastores et greges concernunt, ingenuitati nationis germanicae contradicere (*).

§. 6. *Jura Ecclesiae Catholicae restituta in Borussia.*

Episcoporum Catholicorum conamina non ceciderunt in irritum. Fridericus-Guillelmus IV, Borussiae Rex, tumultus populares sedaturus, et suorum subditorum desideriis satisfacturus 5 Decembris 1848 novam dedit Constitutionem, in qua circa Ecclesiae Catholicae libertatem sequentia notanda sunt: 1) Ecclesia evangelica et Ecclesia Romano-Catholica, sicut quaelibet alia societas religiosa, ordinat et administrat omnia per

(*) Scharpff Prael. H. E. fasc. 2, p. 71.

se, et manet in possessione proprii cultus, institutionis, Institutorum, fundationum et fundorum ad pios fines destinatorum (§. 12). 2) Cuilibet societati religiosae integrum est cum suis superioribus communicare: nihilominus promulgatio ordinationum est subjecta iisdem restrictionibus, quibus reliquae promulgationes subjacent (§. 13). 3) Decreta regia circa jus praesentandi, eligendi et confirmandi personas ad beneficia ecclesiastica promovendas sunt sublata (§. 15). Nonnullae tamen Regiminis politici declarationes dd. 15 Decembris 1848 Episcopis Borussiae metum incusserunt, jura ecclesiastica jam concessa et stabilita diminutum iri. Ex paragrapho 15 Constitutionis fuit deductum, jus praesentandi, eligendi et confirmandi personas ecclesiasticas ad beneficia patronatus, aut quosdam speciales juris titulos non se extendere, administrationem bonorum ecclesiasticorum in Constitutione concessam, et publicas scholas in regno Borussiae ceu civilia instituta considerari. Quapropter Episcopi anno 1849 edito scripto jura Ecclesiae Catholicae defenderunt; sed neque Landenberg, cultus minister, neque utraque Camera Episcopis reclamantibus benignas praebuerunt aures, et articulis 13, 14, 15 Constitutionis tales additiones factae fuerunt, quae libertatem Ecclesiae Catholicae jam concessam limitant. Omnis potestas, quae promittit, et promissa non servat, concedit et tollit, semetipsam prostituit et enervat. Qui fallit, fallitur (*).

§. 7. *Jura Ecclesiae Catholicae restituta in Austria.*

Inde a tempore imperatoris Josephi II Episcopi Austriae non audebant orationem publicam, vel processionem indicere, exercitia spiritualia praescribere, Synodum dioecesanam celebrare, Clericis poenas infligere, epistolam pastoralem edere sine praevio Regiminis provinciae consensu. Nulla Bulla, nullum Breve Summi Pontificis, nulla decreta poterant in dioecesibus promulgari sine placeto regio. Omnis nexus inter Ordines Religiosos et Generales Ministros, omnis recursus ad Sedem Apostolicam interdicebatur. Sponte mittimus reliqua aliunde nota, quae sicut Ecclesiae nocebant, ita principi catholico haud honori erant. Motus populares hoc saltem emolumentum attulerunt Ecclesiae in Austria, quod quibusdam catenis fuerit soluta; nam Franciscus-Josephus in Constitutione 4 Maji 1849 suis subditis libere data sequentia statuit: 1) Tam Episcopi, quam fideles in negotiis ecclesiasticis possunt recurrere ad Sedem Apostolicam, et ab ea decisiones atque mandata recipere sine potestatis civilis interventu et approbatione. 2) Antistitibus Catholicis integrum est dare ad Clerum et populum litteras negotia ecclesiastica respicientes erga obligationem unum exemplar Regimini Provinciae tradendi. 3) Leges prohibentes infligere poenas canonicas sine potestatis civilis consensu sunt abolitae. 4) Potestas ecclesiastica jus habet, secundum formam a canonibus praescriptam, suspendendi, dimittendi, et beneficiis ecclesiasticis privandi eos, qui officiis sibi impositis desunt. 5) Ad exequendam privationis sententiam Praelati ecclesiastici possunt brachium saeculare implorare, dummodo potestatem civilem convincant, processum fuisse regulariter institutum et terminatum. 6) Si Clericus sua auctoritate abusus fuerit ad alios fines ita, ut necessarium sit eum ab officio removere, potestas civilis tenebitur prius cum ejus legitimis Superioribus convenire. 7) Si tribunal civile Sacerdotem catholicum judicaverit, ad Episcopi petitionem debebit eidem omnia acta processus communicare.

(*) Scharpff. Prael. H. E. fasc. 2, p. 73.

§. 8. *Conventus Viennensis.*

Edita a Francisco-Josepho laudata Constitutione, Franciscus de Stadion, primarius Status minister, Episcopos Viennam convocavit, ut cum ipsis circa negotia ecclesiastica conferret. Comparuerunt 5 Archiepiscopi, 24 Episcopi, et 5 legati Episcoporum, qui 34 dioecesis imperii austriaci repraesentabant. Antistites Hungariae et Italiae, sceptro austriaco subjecti, non potuerunt Viennam petere ob bellum, quod hisce in regionibus gerebatur (*). Conventui praefuit Fridericus Schwarzemberg, Cardinalis S. R. E. et Archiepiscopus Salisburgensis. Capita Episcopis congregatis ad discutiendum proposita fuere: a) Regimen Ecclesiae, officia et beneficia, jus patronatus, concursus parochialis, cultus divinus; b) Judicia ecclesiastica; c) Institutio; d) Monasteria; e) Matrimonium; f) Doctrina Religionis, et fundi scholarum; g) Legata pia, et bona ecclesiastica. Praelati discusserunt haec capita a 29 Maji 1849 usque ad 17 Junii ejusdem anni, ac tandem sequentes conclusiones ad imperatorem miserunt: 1) Ecclesia catholica doctrinam fidei et morum, nec non propriam constitutionem a Deo accepit, ideoque suas leges ut reliquae societates, pro arbitrio mutare nequit, et si Civitas cum Ecclesia Concordatum inire cupit, has leges prae oculis habeat oportet. 2) Omnia obstacula communicationi cum Sede Apostolica antehac posita removeri debent. 3) Concilia provincialia sunt celebran-

(*) Ephemerides Cathol. Tyrol. N. 39. Anno 1849.

da. 4) Penes potestatem ecclesiasticam est jus Clericos officiis et beneficiis ecclesiasticis privandi, censuras et poenas ecclesiasticas infligendi, et cum opus est brachium saeculare tenetur ei subvenire. 5) Episcopo competit jus examinandi acta processus fori civilis, cum Clericus convenitur et condemnatur. 6) Episcopi imperii austriaci agnoscunt jura ex natura potestatis civilis emanantia, et quae alio titulo imperatori advenerunt, speciatim jus personas ad Episcopatus vacantes nominandi ita tamen, ut Caesar, ante nominationem, non omittat consulere Antistites provinciae ecclesiasticae, ad quam sedes vacans spectat. 7) Ad Canonicatus vacantes non sunt promovendi nisi Clerici, qui per decem annos curam animarum laudabiliter exercuerunt; Canonicatus vero, pro quibus nobilitatis titulus requiritur, sine ullo ad hunc titulum respectu dignioribus sunt conferendi. 8) In electione Metropolitarum Salisburgensis et Olmutiensis, Episcopi harum provinciarum jus habeant suffragium directum dandi, et sint 25 electores, ad quem numerum efficiendum Canonicis titularibus jus eligendi tribuatur. 9) Quilibet Episcopus pollet jure examinandi habilitatem Clericorum pro cura animarum, et decernendi, ut concursus parochialis fiat saltem semel in anno in sua dioecesi viva voce et scripto ex *Dogmatica, Morali, Exegesi Scripturae sacrae, Pastorali et Liturgia, Jure Canonico, Catechismo, methodo catechizandi, componendi et proferendi sermonem.* 10) Ad examen parochiale non admittantur nisi illi, qui per triennium facultatem curam animarum exercendi habuerunt. 11) Ab examine parochiali possunt dispensari Professores Theologiae actuales et benemeriti, Doctores Theologiae, et insignes Theologiae Scriptores: Episcopus ab examine parochiali potest etiam dispensare animarum curatores, qui specimina cognitionum theologicarum dederunt. 12) Nullus Episcoporum obligatur agnoscere ceu sufficiens examen parochiale, quod Clerici subeunt in aliena dioecesi pro obtinendis beneficiis in sua. 13) Episcopis jus est moderandi intra limites legum generalium Civitatis cultum Religionis publicum juxta spiritum et canones Ecclesiae catholicae. 14) Episcopi habent jus propria Instituta pro educatione juvenum militiae ecclesiasticae nomen dare volentium erigendi, dirigendi, et invigilandi tam professoribus, quam alumnis. 15) Caesaris est dominicos et festivos dies protegere, et impedire quo minus eorum sanctificatio turbetur. Episcopi, antequam ad suas sedes redirent, quibusdam Praelatis e suo gremio electis, quos inter praecipui Pragensis, Labacensis, et Graecensis, commiserunt, ut negotia ad Ecclesiam austriacam spectantia, et potissimum Monachorum reformationem curarent. A Sede Apostolica fuerunt designati Visitatores pro omnibus

imperii austriaci Conventibus, si Tyrolim et Italiam excipias, Archiepiscopus Pragensis, et Hungariae Primas. Imperator die 18 Aprilis 1850 Placetum regium abrogavit, Episcopis liberum potestatis ecclesiasticae exercitium concessit, et Ordinibus Religiosis facultatem restituit cum suis Generalibus ministris communicandi. Antistites Vienna reduces litteras pastorales ad Clerum et populum suarum dioecesium dederunt, quibus commendabant quietem, tranquillitatem, reverentiam et submissionem erga potestates a Deo ad mundi regimen ordinatas (*).

§. 9. *Status Ecclesiae Catholicae in Bavaria.*

In Bavaria sub Rege Ludovico Maximiliano artes, litterae, scientiae et Religio floruerunt. Rex ex variis mundi partibus Monachium accivit viros doctos et artifices, quos honoribus et beneficiis cumulavit. Episcopis sui regni plenam tribuit libertatem cum Sede Apostolica communicandi, cultum Religionis pubblicum ordinandi, Seminariis invigilandi, educationem juventutis religiosam curandi. Regis munificentia restaurata fuere templa Catholicorum Regensburgi, Bambergae, Spirae, et insignes Basilicae Monachii aedificatae, puta S. Bonifacii, S. Ludovici, omnium Sanctorum. Memor articuli VII Concordati cum Sede Apostolica initi Claustra Capucinorum, Franciscanorum, et Carmelitarum restauravit, Sorores charitatis, Fratres misericordiae, Redemptoristas, Servitas, Augustinianos, Benedictinos restituit, eisque institutionem juventutis commisit. Introduxit Ordinem mulierum boni Pastoris, cujus scopus est quaerere, et ad bonam frugem reducere puellas errantes, foeminasque perditorum morum. Instituit Societatem Ludoviceam, eamque dotavit, ut inter infideles, praecipue in Asia et America septentrionali Evangelium per missionarios propagare studeat. Sub ejus auspiciis Monachii coaluit quoque Societas, quae libros catholicos divulgat in propagationem et defensionem Religionis. Cum Bavaria anno 1848 motibus populi quateretur, Rex coronam deposuit, et ad privatam vitam se retraxit. Maximilianus, ejus filius et successor, Patris vestigiis inhaerere videtur. Etiam Episcopi regni Bavariae post annum 1848 elevaverunt vocem, plura capita Regimini politico proposuerunt, et ampliorem agendi rationem postularunt (*).

(*) Rapporto del Conte di Thun, ministro del culto e della pubblica istruzione a Francesco-Giuseppe imperatore d'Austria.

*) Sion num. 64. Suppl., num. 134, num. 64, 1841 num. 29. Ephemerides Moguntinae 1843. num. 6, Ephemerides Viennenses 1849.

§. 10. *Status Ecclesiae Catholicae in Hollandia.*

Hollandia est nidus Calvinistarum, qui sunt acerrimi veritatis catholicae, et Hierarchiae ecclesiasticae hostes. Juxta recentiores notitias sunt in Hollandia 2,860,450 incolae, et hos inter 1,100,616 Catholici. Ibi adhuc perdurat deplorandum Schisma Ultrajectinum a Jansenistis anno 1704 conflatum. Archiepiscopus Ultrajectinus, a communione Ecclesiae Catholicae separatus, cui subsunt 24 parochiae et 2520 animae, habet duos Episcopos suffraganeos, nempe Episcopum Harlemensem cum 20 parochiis, et Episcopum Daventriensem sine ulla parochia. Hi a Sede Romana continuo petunt suae electionis confirmationem, sed quia palinodiam canere, et Bullam Unigenitus admittere detrectant, a Summo Pontifice excommunicantur. Seminarium Ultrajectinum subsidiis Jansenistarum sustentatur. A quo Hollandia a Belgio segregata fuit, Ecclesia Catholica necdum plena libertate frui potuit. Sub regimine Guillelmi II, opera Capaccini Nuntii Apostolici res in melius vergere videbantur, et spes affulgebat, ut Ecclesia Catholica etiam ibi catenis solveretur; ast Regimen politicum, non obstantibus Pii Papae IX reclamationibus, potestatem Episcoporum Catholicorum ad angustiores limites restringere conatur. Postquam Magnus Ducatus Luxenburgicus fuit subjugatus, Guillelmus II, Hollandiae rex, admisit ad illud territorium Episcopum Laurent, qui Hamburgo, ubi munere legati apostolici pro Germania septentrionali fungebatur, fuerat expulsus, ut Catholicis ibi commorantibus praeesset, et eorum saluti consuleret. Anno 1853, annuente Rege et perstrepentibus Acatholicis, Pius IX unum Archiepiscopatum, et quatuor Episcopatus in Hollandia erexit (*).

§. 11. *Status Ecclesiae Catholicae in Belgio.*

Belgae post tot conamina, bella et sanguinis effusionem, tandem 10 Novembris 1830 in conventu nationali sibi novam dederunt Constitutionem, qua liberior in Europa non datur, et cui tranquillitas illius regionis est adscribenda durante tempestate, quae anno 1848 fere totam Europam exagitavit. Hujus Constitutionis sequentes articuli memorari merentur: 1) Cuilibet datur libertas cultum divinum exercendi, festa publica celebrandi, et suam opinionem in quavis materia manifestandi (art. 14). 2) Nemo cogi potest, ut templum frequentet, functionibus sacris interveniat, et festos dies observet. (art. 15) 3) Civitas non habet jus electioni et installationi Clericorum se immiscendi, commercium litterarium cum suis superioribus vetandi, promulgationem actuum interdicendi; in ultimo tamen casu quilibet tenetur rationem reddere scriptorum, quae in lucem prodeunt: matrimonium civile debet semper praecedere benedictionem ecclesiasticam, nisi per legem specialis aliqua exemptio fiat (art. 16). 4) Institutio juventutis est libera; quaelibet praevia restrictio est prohibita (art. 17). 5) Typographia est libera; censura numquam potest introduci. (art. 18).

(*) A'zog II. E. p. 997-999; Ephemerides Amstelodamenses, anno 1853.; Civiltà Cattolica num. 88, Vol. 4, p. 470.

Die 8 Junii 1831 a Clero et populo electus fuit Rex Belgii Leopoldus ex familia Saxonico-Coburgica. Rex ad Episcopos gratulantes ita locutus est: « Quemadmodum partem habetis in emolumentis Constitutionis, ita sub ejus tutela plena gaudetis libertate vestrum ministerium exercendi, et cum Sede Apostolica communicandi. Cum Summo Pontifice egi de vestris ad eum relationibus, et mihi gaudeo quod omnia approbaverit. Ubi potero, ad vestram petitionem praesto vobis ero in omnibus negotiis, quae in Curia Romana gerenda habebitis. » Episcopi, accepta per Constitutionem libertate, erexerunt Seminaria, et Gymnasia Collegiis Jesuitarum tradiderunt. Monasteria institutioni juventutis dedita, cura et solicitudine Episcoporum mirum in modum aucta sunt. Antistites et fideles spontaneis oblationibus Mechliniae fundarunt Universitatem, quae 1 Dec. 1835 solemniter inaugurata et Universitati Bruxellensi opposita tardius Lovanium translata fuit eum in finem, ut Pantheismi progressum coerceret, haereses et errores impugnaret, Religionem catholicam defenderet, et Sedi Apostolicae sine conditione obsequeretur. Cum numerus alumnorum Universitatis Lovaniensis longe superaret numerum illorum, qui Universitatem democraticam Bruxellensem frequentabant, professores invidia tabescentes ab anno 1845 conabantur Jesuitis auditores subtrahere (*). Anno 1847 in thesibus disputationis causa propositis, Professores saeculares Lovanienses, ut aegre facerent Jesuitis, defendebant Joannem Perrone Jesuitam esse Carthesianum et Hermesianum, Pascal vero, Jesuitarum hostem, ad astra efferebant. Professor Juris Canonici edidit librum inscriptum: *De jure et privilegiis cum Regularium, tum saecularium,* in quo demonstrat Episcopum posse Clerum Regularem in auxilium vocare, sed tum solum

(*) Cum liber philosophiae usibus scholae destinatus Romam fuisset missus, et Papa quaedam mutari praecepisset, Professores saeculares Lovanienses suspicabantur Jesuitas esse delatores; ast Fornari, Nuntius Apostolicus, declaravit se librum ad Sedem Apostolicam detulisse.

cum Clerus saecularis ob inscitiam, immoralitatem, vel alias causas nequit bonum operari; Clerum Regularem in erectione Capellarum, Ecclesiarum, et Monasteriorum non tantum ab Episcopo, verum etiam a parocho dependere; Clerum Regularem sua opera magnam injuriam Clero saeculari inferre. Jesuitae huic libro opposuerunt: *Examen historicum et canonicum libri singularis de jure et privilegiis etc.*; ubi confutant principia professoris saecularis. Tandem Jesuitae indignati, editis libris, vituperarunt mores dissolutos juvenum, qui scholas saecularium Lovanii frequentabant. Aliae lites ortae sunt inter Clerum et Regimen politicum. Engelbertus, Cardinalis Archiepiscopus Mechlinensis, circa Missam de Spiritu Sancto sub initium anni scholastici celebrandam haec mandavit: « Cum superioribus annis saepe orta sint dubia circa Missarum celebrationem, quae initio anni scholastici peti solent a Rectoribus Collegiorum seu Scholarum ad impetrandam Spiritus Sancti opem, ideo statuendum duximus, ut ejusmodi Missae in posterum celebrentur pro solis Collegiis seu Scholis, in quibus sub nostra vel parochi loci auctoritate et directione juvenes doctrina et moribus christianis rite informantur. » Regimen politicum hac ordinatione haud contentum exegit, ut Missae de Spiritu Sancto celebrentur etiam pro Collegiis mixtis, id est pro illis, quae vi legis editae 1 Junii 1850 et Catholici et Protestantes frequentabant, sed Clerus Regimini politico obedire detrectavit; quare Ephemerides pecunia conductae invectae sunt in Clericos ceu intolerantes, ut eos populo exosos redderent. Archiepiscopus Mechlinensis ad Regimen politicum misit epistolam, in qua demonstravit Clerum non posse Missam celebrare pro Collegiis mixtis, hoc est pro Catholicis et Protestantibus, cum Missae pro Catholicis et non pro Acatholicis dicantur; cui Regimen politicum respondit, Clericorum catholicorum agendi rationem haud posse excusari, eosque esse hostes Collegiorum publica lege institutorum, de quibus cives gloriantur. Inde colligitur in Belgio, ubi Ecclesia catholica libertate gaudet, duas esse factiones, quae quidem in essentialibus conveniunt, in accidentalibus autem confligunt. Dolendum quod etiam in Belgio factio democratica plura elementa *Radicalismi* in se contineat, cujus scopus est Senatum abolere, et legem circa legatorum electionem mutare. Clerus est fulcrum throni et libertatis; itaque qui Religionis ministros deprimere moliuntur, hi autonomiae et libertati Belgii mortem afferre conantur (*).

(*) Scharpff Prael. H. E. fasc. 2, p. 241, 266; Clero Cattolico N. 48.

§. 12. *Novi Episcopatus in Anglia.*

Pius IX anno 1850 in praecipuis Angliae urbibus in locum octo Vicariatuum Apostolicorum substituit duodecim Episcopatus, ut animarum saluti melius consuleret, et celebrem Nicolaum Wiseman ad dignitatem Cardinalis et Archiepiscopi Westmonasteriensis promovit, cujus jurisdictioni Summus Pontifex electos Episcopos subjecit. « Tali modo » ait Papa in litteris apostolicis 21 Septembris 1850 datis « in magno et florido Angliae regno erit provincia ecclesiastica, quae constabit Archiepiscopo seu Metropolita, et 12 Episcopis Suffraganeis, quorum zelus et sollicitudo in bonum et augumentum Catholicae Religionis redundabunt. Reservamus tamen nobis et nostris Successoribus jus hanc provinciam dividendi, et numerum Dioecesium augendi, nec non earum limites praescribendi, prout necessitates postulabunt. » Ita post tria saecula Christi Vicarius in regno Angliae Hierarchiam ecclesiasticam restauravit, ut Pastores pabulo doctrinae coelestis oves suas nutriant, invigilent ne lupi rapaces eas mactent et devorent, earumque indigentiis prospiciant. Ob hanc Hierarchiae ecclesiasticae restaurationem Anglicani excanduerunt ita, ut in publicis ephemeridibus minarentur, se velle Italos ad seditionem contra Romanum Pontificem concitare. Ut se de eo vindicarent, renovarunt festum anno 1605 introductum et jam oblivioni traditum, quo in Catholicos inquirebatur, carceri mancipabantur, et eorum plures etiam capite minuebantur. In odium Religionis Catholicae, ejusque cultorum dedecus per compita, plateas et vias publicas clamitabant: « tollatur e medio papismus »; vesperi coram hominum multitudine effigiem Cardinalis Wiseman, aliorum 12 Episcoporum, et Summi Pontificis flammis tradebant. Catholicos ubique locorum injuriis lacessiverunt adeo, ut illi, qui penes Ecclesias catholicas habitabant, fenestras domorum emblematibus et inscriptionibus anticatholicis ornarent, timentes ne eorum domicilia depopularentur. Comitia vero, reclamantibus Catholicis, legem tulerunt, qua sub mulcta 100 librarum sterlinarum in Anglia et Scotia vetitum fuit titulum Hierarchiae catholicae assumere, omnis actus jurisdictionis contentiosae et voluntariae nullus et irritus declaratur, omnis donatio et pium legatum in favorem personarum tales titulos assumentium in fiscum regium refertur (*).

Catholici hisce injuriis affecti 19 Augusti 1851 Dublini co-

(*) Clero Cattolico N. 11. Anno 1851.

piosum celebrarunt conventum, cui interfuerunt Doctor Cullen, Archiepiscopus Armachanus et Hiberniae Primas, qui Conventui praefuit, duodecim Episcopi, et ingens fidelium numerus omnis classis et conditionis, in quo declararunt: 1) Legem contra titulos ecclesiasticos latam esse laesionem legis anno 1829 conditae, qua Catholici emancipantur, et eversionem principii in regno Angliae adoptati de religiosa libertate; 2) Ministros violasse civilem et religiosam libertatem, fiduciamque Catholicorum in toto regno degentium amisisse. Societas ad defensionem Religionis catholicae in Hibernia fundata has Conventus Dublinensis declarationes omnibus Catholicis communicavit, et spopondit se velle modis licitis jura Ecclesiae Catholicae tueri, revocationem legis urgere, pauperibus subvenire ne pecunia ad defectionem seducantur, institutionem omnibus classibus comparare, militibus catholicis extra regnum commorantibus liberum Religionis exercitium obtinere, religiosa scripta a Praelatis approbata divulgare, doctrinam catholicam defendere, moralem populi conditionem meliorem reddere, pia Instituta et fundationes protegere, egenis levamen ferre, curare ut eligantur legati ad Comitia mittendi apti et religiosi, utque populus Hiberniae a jugo liberetur solvendi tributa Clericis Anglicanis, qui fidem catholicam eradicare nituntur (*).

§. 13. *Numerus Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in orbe catholico.*

Anno 1850 aderant 70 Cardinales, et 23 Patriarchae, quorum duo in Europa, nimirum Venetiis et Ulissiponi. In Europa sunt 104 Archiepiscopi, quorum 46 in Italia, 13 in Germania, 8 in Hispania, 11 in Gallia, unus in Anglia, quatuor in Hibernia, tres in Lusitania, unus in Belgio, tres in Russia, unus in Graecia, unus in Insulis Sporadibus, quatuor in partibus Musulmanorum. Jurisdictioni horum Metropolitarum subsunt 609 Episcopi, computatis Africae, coloniarum gallicanarum, insularumque hispanicarum et lusitanarum Antistitibus. Praeter hos dantur 78 Episcopi a Sede Apostolica immediate dependentes, nimirum 55 in Italia, 4 in Germania, 4 in Helvetia, 2 in Hispania, unus in Volinia, unus Melitae, et unus in Bulgaria. In America numerantur 19 Archiepiscopi, quibus 90 Suffraganei subsunt. In Oceania reperiuntur duo Archiepiscopi, qui in unde-

(*) F. I. Buss Reformen in Dienst der Katholischen Geistlichkeit Teutschlands.
Nota. In regionibus coronae Angliae subjectis sunt 89 sive Episcopatus, sive Vicariatus Apostolici. (Petri, Gerarchia della santa Chiesa in tutto l'Orbe, Roma 1851).

cim Suffraganeos et novem Vicarios Apostolicos jurisdictionem exercent. Archiepiscopi et Episcopi in partibus sunt 461 (*).

§. 14. *Concordatum inter Hispaniam et Sedem Apostolicam initum.*

Post diuturnum et internecinum bellum, quod in regno Hispaniae omnia subverterat, et incolis tot plagas inflixerat, opus erat res ecclesiasticas ordinare. Hoc factum fuit per Concordatum inter Regimen Hispanicum et Sedem Apostolicam initum, cujus praecipua capita sunt: 1) Religio Catholica est Religio Hispaniae. 2) In scholis institutio juventutis principiis catholicis debet esse conformis, et Episcopi puritati fidei et doctrinae moralis invigilabunt. 3) Ecclesia Valdoletensis in vetere Castilia ad gradum Ecclesiae metropolitanae est elevata: octo Archiepiscopatus existentes conservantur: novem Episcopatus supprimuntur: omnes simul erunt 43 Episcopatus. 4) Ordines equestres (Santiago, Calatrava, Alcantara, et Montosa) uniuntur, eisque assignatur proprium territorium, quod nomen Prioratus Ordinum militarium geret: Rex Hispaniae titulum Magni Magistri retinet, et unus Episcoporum in partibus jurisdictionem spiritualem exercebit. 5) Privilegia Praelatorum cessant, et territoria exempta ordinariae Episcopi jurisdictioni subjiciuntur. 6) Capitula Canonicorum constabunt quatuor dignitatibus, Poenitentiario, Theologo, et numero Canonicorum, qui pro Ecclesiarum varietate varius erit. 7) Omnes exemptiones et privilegia Capitulorum auctoritati episcopali noxia abrogantur. 8) Nominatio Cantoris in omnibus Ecclesiis Metropolitanis, et etiam in quibusdam Cathedralibus est Summo Pontifici reservata; item Pontifex jus habet in singulis Episcopatibus unum Canonicum nominandi; Decanos nominat Rex; ad alias dignitates Rex et Archiepiscopus, vel Episcopus; ad ceteros Canonicatus Antistes et Capitulum: ad omnia beneficia per resignationem vel promotionem vacantia, nisi sint collationis papalis, nominat Rex. 9) Omnes Ecclesiae Collegiatae erunt parochiales: intuitu nominationis ad praebendas et beneficia valebit regula pro Ecclesiis Cathedralibus statuta. 10) Beneficia conferri debent per concursum: Episcopus tres proponit, et Rex unum eligit: si nominatio est juris patronatus ecclesiastici, Episcopus tres proponit, et patronus inter quatuor menses unum

(*) Statistica generale dell' alto Clero pubblicata dal Governo Pontificio.
Nota. Anno 1853 Pius IX, Pontifex Maximus, elevavit Ecclesiam Zagrabiensem ad gradum Metropolitanae.

praesentat; si spectat ad patronatum laicum, laicus jus habet ex idoneis eligendi quem vult. 11) Rex Sacerdotibus S. Vincentii de Pauli, et S. Philippi Nerii promittit subsidia; item spondet restituere Monasteria mulierum vitam activam et contemplativam viventium. 12) Archiepiscopus Tolosanus percipiet annuos 160,000 reales, quilibet Suffraganeus 14,000, singuli Canonici Ecclesiarum Collegiatarum 8,000, Curatores animarum in urbibus 3000-10000, ruri 2000. 13) Cultui, Seminariis, et Conventibus suppeditabitur sumptus: Episcopus vero ex proventibus beneficiorum intercalaribus sustinebit sumptus extraordinarios. 14) Vi legis latae anno 1845 Clerus percipiet dotationem ex bonis oblatis, ex eleemosynis Conzadae, ex Commendis Ordinum militarium, et contributionibus Communitatum. 15) Administratio bonorum ecclesiasticorum spectat ad Ecclesiam. 16) Ecclesiae jus competit quocumque justo titulo bona temporalia acquirendi (*).

§. 15. *Concordatum inter Leopoldum II, magnum Hetruriae ducem, et Summum Pontificem Pium IX initum.*

Hetruria a spiritu et principiis Febronii recedens res ecclesiasticas sensu magis catholico composuit per Concordatum cum Pio IX initum anno 1851, in quo sequentia statuta fuere: 1) Auctoritas ecclesiastica in sui ministerii exercitio est libera: potestas civilis tenetur Religionem, cultum divinum, moralitatem tueri, scandala removere, et adjuvare Episcopos quoties hi brachio saeculari opus habuerint. 2) Episcopi possunt libere promulgare ea, quae ad eorum ministerium pertinent. 3) Ad Episcopos exclusive spectat examinare opera et scripta de materiis religiosis tractantia, et fidelibus lectionem librorum malorum prohibere. 4) Episcoporum est praedicationis officium committere iis, quos idoneos judicaverint. 5) Causae civiles Clericos, bona ecclesiastica, patrimonium Ecclesiarum atque pias causas respicientes ad tribunalia civilia sunt deferendae. 6) Integrum est Episcopis et fidelibus cum Sede Apostolica communicare. 7) Omnes causae ecclesiasticae et spirituales a judicibus ecclesiasticis sunt cognoscendae. 8) Tribunalia civilia causas successionis circa jus patronatus cognoscent. 9) Ad forum ecclesiasticum spectant omnes causae matrimoniales, uti definivit Concilium Tridentinum canone 12; quod ad sponsalia attinet, retenta citati canonis et Bullae *Auctorem fidei* dispositione, de valore, effectibus et impedimentis pariter judicat auctoritas ecclesiastica. 10) Forum civile cognoscit causas

(*) Ephemerides l'Armonia.

Clericorum criminales, eisque infligit poenas legibus praescriptas, quas subire debent in locis ad id destinatis: judices vero ecclesiastici decernunt delicta mere ecclesiastica, qualia sunt *apostasia*, *haeresis*, *schisma*, *simonia*, *Sacramentorum profanatio*. 11) Si Clerici leges civiles publicae oeconomiae, venationis etc. transgressi fuerint, Tribunalia civilia nonnisi mulctam pecuniariam eis irrogare poterunt. 12) Auctoritas civilis tenebitur Praelatos ecclesiasticos certiores reddere de inclusione Clerici, et reverentiam sacro characteri exhibere. 13) Episcopi et animarum curatores libere bona ecclesiastica administrant. 14) Si beneficium ecclesiasticum vacaverit, Commissarii utriusque potestatis, quibus praeerit Episcopus, bonorum administrationem curabunt. 15) Bona ecclesiastica sine Sedis Apostolicae et Regiminis civilis consensu non possunt alienari. 16) Quoties agitur de legatis piis, et bonorum ecclesiasticorum permutatione, utraque potestas assensum a Sede Apostolica impetrabit, salvis Episcoporum facultatibus pro visitatione canonica concessis (*).

.§16. *Dissidium inter Pium IX, et Regimen politicum Sardiniae ab violatam immunitatem ecclesiasticam.*

Quamquam Ecclesia sub poenarum comminatione semper prohibuerit immunitatem personalem, realem et localem violare: nihilominus superba et impia saeculi XVIII philosophia, qua etiam terrae principes erant fascinati et inflati, immunitatem ecclesiasticam fere ubique gentium pessumdedit. Intacta manserat in Sardiniae regno, ubi Tribunalia ecclesiastica omnes Clericorum causas agnoscebant, loca sacra jure asyli gaudebant, vi cujus Praelati ecclesiastici secundum canones delinquentem judicabant, et a potestate civili vel gratiam implorabant, vel eidem tradebant, quaelibet Ecclesia, quaelibet Confraternitas, quodlibet pium Institutum donationes inter vivos, et bona testamento legata sine obstaculo accipere poterat. Ab anno 1848 etiam in Sardiniae regno, subverso antiquo rerum ordine, immunitas ecclesiastica fuit violata. Lex a ministro Siccardi proposita, et a Comitiis approbata Ecclesiam Pedemontanam jura asyli, judicandi et puniendi Clericos privavit, nec non Ordinibus Religiosis, Congregationibus, piisque Institutis vetuit bona immobilia acquirere, et tam donationes, quam haereditates accipere sine Regiminis civilis licentia. Pius IX, per Cardinalem Antonelli, Status Secretarium, 14 Maji 1850, et Episcopi Pedemontani, editis scriptis

(*) Monitore Toscano.

contra hanc legem reclamarunt quidem, sed perperam; etenim Regimen Pedemontanum Summo Pontifici et Episcopis respondit se a Constitutione, qua omnia privilegia abolentur, et subditi sine discrimine aequales declarantur, nullo modo recedere posse. Legi Siccardianae quam maxime se opposuit Fransoni, Archiepiscopus Taurinensis, qui vetuit eam observare; quare ceu legis publicae violator ad Tribunal civile fuit citatus. D. Varassini, Archiepiscopus Sassariensis in Sardinia, vestigiis Archiepiscopi Taurinensis inhaerens, epistolam pastoralem edidit, qua Clericis prohibuit ad forum civile comparere, si fuerint citati; quam ob rem jussu Regiminis politici custodiae fuit traditus. D. Emmanuel Marongiu Nurra, Archiepiscopus Calaritanus ob excommunicationem adversus violatores immunitatis Ecclesiae latam exilio fuit pulsus. Pius IX, certior factus, per Cardinalem Antonelli, iterato contra hanc immunitatis personalis violationem reclamavit, datis ad Marchionem de Spinola Regis Sardiniae Romae legatum litteris; ast omnes reclamationes optatum effectum haud produxerunt. Mense Augusto 1850 in gravem incidit morbum Petrus Derossi Comes de Santa Rosa agriculturae et commercii minister, qui partem in lege Siccardiana habuerat. Cum videret ultimum hujus vitae momentum sibi imminere, vocari curavit Ghiringello, Theologiae professorem in Universitate Taurinensi, qui ei a confessionibus erat. Peracta sacramentali confessione petiit Viaticum; sed Pater Pitterino, Ordinis Servitarum, et Ecclesiae S. Caroli parochus, in cujus districtu infirmus habitabat, moerens respondit sibi ab Archiepiscopo Taurinensi absolute interdictum esse, nisi Regis minister prius palam faceret, se legem Siccardianam reprobare. Minister aegrotus reposuit, subscribendo legi Siccardianae, se officiis religiosis non defuisse; quapropter sine moribundorum Sacramentis decessit, fuit tamen ecclesiastica sepultura donatus. Cum populus taurinensis in furorem actus Patribus Servitis mortem intentaret, Municipium eos ad Conventus Alexandrinum et Salutianum transtulit, bona vero Monasterii Taurinensis fundo Religionis adscripsit. Archiepiscopus Taurinensis, auctor mandati parocho Servitarum dati, jussu Regiminis politici, ex arce *Pierazza*, ad quam jam prius missus fuerat, ad propugnaculum fenestrellense in Alpibus situm fuit delatus. Eodem die venerunt ex Gallia Catholicorum legati, qui volentes compensare constantiam, qua Archiepiscopus Regimini politico resistebat, eidem obtulerunt pretiosam Crucem, quam Dominicus Augustus Affre, Archiepiscopus Parisiensis et charitatis christianae martyr, vivens ferebat. Tandem Archiepiscopus Fransoni a Regimine politico Sede sua turbatus in exilium missus fuit, et bona mensae

archiepiscopalis sequestro posita. Archiepiscopus hodierna adhuc die degit in Gallia (*).

§. 17. *Dissidium inter Regimen Pedemontanum, et Episcopos Regni propter matrimonium.*

Die 12 Junii 1852 Buoncompagni, gratiae et justitiae minister, populi legatis Augustae Taurinorum congregatis discutiendam et approbandam proposuit legem, cujus praecipua capita haec erant: 1) Minorennes, et quidem mares decimum octavum, et feminae decimum sextum annum agentes cum parentum suorum consensu possunt validum inire matrimonium. 2) Impedimentum consanguinitatis et affinitatis in linea recta ascendente et descendente in infinitum, in linea vero obliqua ad secundum tantum computationis canonicae gradum se extendit. 3) Promulgatio matrimonii ad potestatem civilem, seu ad Syndicos spectat. 4) Matrimonium non est civiliter validum, neque effectus civiles producit, nisi partes coram auctoritate civili contrahant, et contractus inter acta Status civilis referatur; matrimonium civiliter initum ritu solemni et religioso sanciri debet. 5.) Ad causas nullitatis matrimonii quod attinet, auctoritas civilis cognoscit eas, quae ad ordinem publicum pertinent, parentes judicant eas, quae ad tutelam eorum potestatis spectant, tandem sponsorum arbitrio relinquuntur eae, quae ex defectu consensus proveniunt ita tamen, ut elapso termino, ex quo supponi possit consensum datum fuisse, matrimonium dissolvi nequeat. 6) Divortia alia a lege, alia a conjugum consensu pendent. Tentamen reconciliationis semper debet separationem praecedere. 7) Sub poenarum comminatione est interdictum ad matrimonii celebrationem procedere, nisi praefatae conditiones impleantur. 8) Nemo potest titulum conjugis praetendere, nisi documentum celebrati matrimonii habeat. 9) Tribunalia civilia decidunt lites ortas circa jura, quae ex sponsalibus et matrimonio fluunt. Omnes Episcopi Provinciae Taurinensis contra hanc legem insurrexerunt, cum ore tum calamo declararunt eam esse Constitutioni civili, et Religionis catholicae principiis contrariam, et litteras ad Regni Senatum dederunt, eumque rogarunt ut pro Ecclesiae Catholicae atque Patriae bono consensum in illam legem denegarent. Senatus precibus Episcoporum annuens die 20 Decembris 1852 legem de matrimonio civili a Ministro Buoncompagni propositam, et a Camera inferiori jam approbatam rejecit. Hinc manifestum est, quid possint Antistites efficere, dummodo ele-

(*) Clero Cattolico N. 13. Anno 1850.

vent vocem, et pro domo Israel viriliter dimicent, quin persecutiones, carceres, catenas, exilium vereantur. Si vero *Speculatores Ecclesiae caeci sunt . . . . . . canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia* (a), fieri facile potest ut auctoritas civilis jura Ecclesiae usurpet (b).

§. 18. *Dissidium inter Sedem Apostolicam et Patriarcham Orientalem.*

In Soria et Palaestina inter Graecos catholicos ortae sunt dissensiones, quibus ansam dedit Patriarcha Mazlum. Is anno 1849 ad Synodum Hierosolymitanam convocavit Episcopos ritus graeci, nimirum Ignatium Episcopum Tyriensem, Demetrium Episcopum Hierapolitanum, Theodosium Episcopum Sydonensem, Agabium Episcopum Baruthensem, Clementem Episcopum Ptolemaidis, Basilium Episcopum Zaclensem (Zacle), Gregorium Episcopum Homensem (Homs), Basilium procuratorem Episcopi Alexandrini, Melesium Vicarium Antistitis Hierosolymitani, et procuratorem Episcopi Balbechensis. Canones, quos Patriarcha Synodo approbandos proposuit, praerogativis, privilegiis, juribus Episcoporum, ritibus orientalibus, et potestati Primatis Ecclesiae universalis adversari videbantur; quam ob rem nonnulli Episcopi subscripserunt cum hac clausula: si a Romana Sede fuerint approbati. Cum Patriarcha ira inflammatus non posset Episcopos renitentes ad inconditionatam subscriptionem perducere, coactus fuit acta Synodi judicio Romani Pontificis subjicere; sed prius omnibus Episcopis mandavit, ut ea in suis dioecesibus promulgarent. Huic mandato morem gerere detrectavit Agabius Episcopus Baruthensis, qui et collegas ad idem faciendum cohortatus est. Rejectis a Sede Apostolica Synodi actis, Patriarcha indignatus profectus est Baruthum, et Episcopo Agabio, si ejus mandato resistere pergeret, non solum depositionem, verum etiam dioeceseos subdivisionem intentavit. Cum etiam minis ejus constantiam vincere nequiret, Graecos et quosdam monachos contra proprium Pastorem ad seditionem concitavit, atque gubernatorem Musulmanum sollicitavit, ut Agabium vi urbe expelleret, qui tamen ejus sollicitationibus aures non praebuit. Hisce necdum contentus Patriarcha Episcopum Baruthensem apud Sedem Apostolicam simoniae, usurae et aliorum criminum insimulavit. Pius IX violentam et abjectam agendi rationem Patriarchae reprobavit, et tam Monachis quam fidelibus praecepit, ut proprio Episcopo se subjiciant, eidemque obedientiam et reverentiam exhibeant. Patriarcha excandescens, ut Romano Pontifici aegre faceret, monachis prohibuit obedire non tantum proprio Episcopo, verum etiam decretis Congregationis de Propaganda Fide. Mense Augusto 1850 Sedes Apostolica Monachis demandavit, ut, quemadmodum moris erat, Ministrum Generalem, Definitores, et alios Ordinis Superiores eligerent. Monachi, patrocinio Patriarchae freti, recusarunt admittere ad Capitulum Villardel Sedis Apostolicae legatum: Patriarcha vero omnes antiquos monachorum Superiores confirmavit. Sedes Apostolica hanc confirmationem rejecit, et Monachis iterato imperavit, ut suos Superiores eligerent: verum Monachi Patriarchae potius, quam Sedis Romanae mandata exequebantur. Quapropter Congregatio de Propaganda Fide elegit Ministrum Generalem et quatuor Definitores, quos Monachi a Patriarcha instigati ceu suos Superiores agnoscere noluere: imo Patriarcha eo audaciae devenit, ut electos deponeret, et Vicarium Generalem, duosque Coadjutores in eorum locum substitueret. Hoc facto Monachi fuerunt bifariam divisi; etenim alii Patriarchae, alii Sedi Apostolicae adhaeserunt. Ita cum in Clero, tum in populo duae enatae sunt factiones, quarum una Patriarcham, altera Sedem Apostolicam sequebatur. Eodem anno in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli hae duae factiones in ipsa Ecclesia Baruthi usque ad verbera et sanguinis effusionem conflixerunt. Consul Reipublicae Gallicanae Baruthi residens, hujus scandali certior factus, rogavit Gubernatorem Musulmanum, ut eo manipulum militum mitteret ad tumultum sedandum, et ordinem restituendum. Neque satis: Patriarcha, proprio marte, praerogativam proedriae Episcopo Tyriensi ademit, eamque in Episcopum Hierosolymitanum transtulit. Ignatius, Episcopus Tyriensis, ab hac Patriarchae sententia ad Sedem Apostolicam appellavit, et Pius IX die 11 Martii 1851 causam decidit in favorem Episcopi Tyriensis. Patriarcha in furorem actus gregem contra proprium Pastorem ad seditionem excitavit. Sectatores Patriarchae, ab eo inspirati, litteras ad Romanum Pontificem scripserunt, quibus minabantur se velle a centro unitatis separare, et schisma facere. Haec nunquam satis deploranda dissidia anno 1851 adhuc perdurabant in Soria et Palaestina. Catholicorum una pars Episcopo Agabio adhaerebat, altera erat ipsi infensa. Episcopus Tyriensis erat inimicus Episcopi Hierapolitani: greges imitabantur Pastores. Discordiae quoque vigent inter Monachos, quorum alii Romano Pontifici, alii Patriarchae partes sequuntur. Patriarcha, superbia tumidus, jugum obedientiae erga Sedem Apostolicam excutere, seque in libertatem asserere conatur. Timendum

(a) Isaiae 56, 10.
(b) Clero Cattolico N. 25, 26 Anno III.

ne hic novus Lucifer in schismatis voraginem labatur. Inde patet, quam tristis sit in Oriente Ecclesiae Catholicae status. Quis posset enumerare mala, quae Ecclesiae Jesu Christi intulit superbia? (*a*).

§. 19. *Restauratio Patriarchatus Hierosolymitani.*

Eversis circa finem saeculi XIII in Oriente Christianorum rebus, filii S. Patris Francisci, zelo Religionis propagandae inflammati, illuc profecti sunt, ut infidelibus Evangelium Jesu Christi praedicarent, fidelium curam gererent, et loca sacra custodirent. Hunc in finem Hierosolymis excitarunt Monasterium, cujus Guardianum Sedes Apostolica multis exornavit privilegiis, quae inter eminebat illud in Pontificalibus celebrandi. Monasterium jerosolymitanum fuit centrum aliorum, quae Franciscani temporis successu extruxerunt. Hodie Fratres Minores habent in Terra Sancta 21 Conventus, 23 Ecclesias, 11 Hospitia, 102 Sacerdotes, 67 Conversos, 16 parochias, 10 scholas, et circiter 12,130 Catholicorum, quibus verbum Dei praedicant, Sacramenta administrant, et quorum proles instituunt (*b*).

Ut Protestantes diversarum confessionum in Oriente commorantium centrum haberent unitatis, et iisdem gauderent juribus, quibus gaudent Catholici, Armeni, Graeci, aliique, Guilelmus II, Rex Borussiae, per suum legatum Bunsen Regimini Anglicano proposuit, ut pro Protestantibus omnium confessionum erigeretur Hierosolymis Episcopatus, spondens se medietatem sumptus suppeditaturum. Obtento a Regimine Anglicano et Primate Ecclesiae Anglicanae consensu erectus fuit Episcopatus S. Jacobi, ad quam novam Sedem Anno 1842 Archiepiscopus Cantuariensis quemdam Doctorem Alexandrum promovit. Ne Catholici in Terra Sancta degentes essent sine Episcopo, Pius IX, Pontifex Maximus, anno 1846 in vitam revocavit antiquum Patriarchatum Hierosolymitanum, ad quem Dominum Valerga patria Genuensem evexit. Adveniente Patriarcha Guardianus Conventus Hierosolymitani plures praerogativas amisit.

§. 20. *Modus perveniendi ad dignitates ecclesiasticas.*

In omnibus fere orbis catholici regionibus, eodem, quo praeterita periodo, modo Clerici ad dignitates ecclesiasticas perveniunt; nimirum terrae princeps cui per concordatum, vel

(*a*) Clero Cattolico N. 39. Anno 1851.
(*b*) Molin, Pellegrinaggio a Gerusalemme.

indultum, aut privilegium a Sede Apostolica jus concessum est, ad omnes, paucis exceptis, in territorio sibi subjecto Episcopatus vacantes nominat personas, suamque nominationem ad Romanum Pontificem pro confirmatione mittit. Patres Concilii Lateranensis II anno 1139 celebrati canone 28 statuerunt, ut Ecclesia Cathedralis ultra tres menses non vocet; adeoque quaelibet Ecclesia Cathedralis intra tres menses de suo Pastore provideri debet. Huic canoni consonat sequens constitutio: « Ne pro defectu Pastoris gregem dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur, volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum, et Ecclesiarum indemnitatibus providere statuimus, ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia, vel Regularis Praelato non vacet, infra quos (justo impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerunt, eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proxime praeesse dignoscitur, devolvatur » (*a*). Persona nominata, vel electa et confirmata per Episcopum a Sede Apostolica delegatum, cui assistere debent duo Praelati usum Pontificalium habentes, intra tres menses sub poena restitutionis fructuum consecrationem suscipere tenetur, quae consecratio, si extra Curiam Romanam fiat, ad normam Concilii Tridentini in Ecclesia Cathedrali propria, vel saltem in Provincia peragi debet; et si intra totidem menses postea id facere negligit, Ecclesia ipso jure privatur (*b*). Clerici nominati ad Episcopatus Italiae ordinarie Romae consecrantur. In electione Summi Pontificis eadem semper forma a Gregorio X praescripta observatur, id est Cardinales praesentes per votorum majoritatem Petri Successorem eligunt.

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1. *Scriptores ecclesiastici Itali.*

Del Signore elucubravit *Institutiones Historiae ecclesiasticae*, quas adnotationibus ditatas anno 1837 in lucem edidit Tizzani.

Pater Augustinus-Maria a Patavio, ex-Minister Provincialis Franciscanorum Reformatorum, et S. Congregationis de Propaganda Fide consultor, anno 1846 Mediolani, sermone

(*a*) Cap. Ne pro defectu 41 de elect. in Bibliotheca R. P. Lucii Ferraris Voc. Beneficium.
(*b*) Concil. Trid. Sess. 23, cap. 2.

italico, praelo subjecit Vitam S. Margarithae Cortonensis in lectiones historicas divisam.

Pater Sigismundus, honestis parentibus Venetiis natus, Ordinis Minorum Reformatorum ex-Minister Provincialis, vir austerus, probus et sedulus, italico idiomate scripsit, et posteris reliquit: 1 Catechismum Theologiae anonymum, multis voluminibus deductum; 2 Biographiam virorum illustrium Ordinis Seraphici. Idem Pater collegit praecipuos sermones Patrum Reformatorum Provinciae Venetae, cui erat adscriptus, et Venetiis edidit. Meritis plenus ad astra migravit Venetiis in Conventu ad S. Michaelem in Insula anno 1849.

Palma, vir eruditus, qui Summo Pontifici Pio IX a secretis erat in tumultu populari anno 1848 a seditiosis occisus, in lucem emittere coeperat Praelectiones Historiae Ecclesiasticae, quas occidione praeventus continuare non potuit.

Angelus Mai, Bergomo oriundus, eximius archeologus, ob merita litteraria a Gregorio XVI ad dignitatem Cardinalis evectus, Romae publici juris fecit: 1 Collectionem Vaticanam Scriptorum Veterum; 2 Opera et fragmenta auctorum ex Vaticanis Codicibus editorum; 3 Novam Patrum Bibliothecam. Omnia Mai Opera 37 volumina implent. Meritis plenus ad astra evolavit die 8 septembris 1854.

Pater Joachimus Ventura, in Sicilia anno 1793 ortus, juvenis adhuc Ordini Theatinorum adscriptus, et ad gradum Ministri Generalis elevatus, ac variis vitae casibus exagitatus, ab anno 1849 in Gallia degens, orator, philosophus, historicus, theologus, apologista insignis, qui sua facundia et eruditione prius Romanos obstupefecit, nunc Lutetiae Parisiorum Gallos in sui admirationem rapit, cui hucusque debemus: 1 Librum de methodo philosophandi; 2 Pulchritudinem fidei; 3 Homilias de infantia, miraculis, parabolis, sermonibus, passione et mysteriis Jesu Christi; 4 Matrem Dei ad Crucem Domini; 5 Mulierem christianam, seu Vitam Virginiae Bruni; 6 Compendium vitae S. Hieronymi; 7 Dissertationem de principio fundamentali verae philosophiae; 8 Laudationem funebrem in obitu Josephi Graziosi Canonici Lateranensis; 9 Laudationem funebrem in morte Danielis O' Connel; 10 Sermones sacros, quos in lingua Gallica protulit Parisiis anno 1851 de ratione philosophica et catholica, quibus ostendit quid praestiterit ratio sibimetipsi relicta, et quid ratio revelationis lumine illustrata; 11 Sermones sacros item lingua gallica Parisiis prolatos anno 1852 de dogmate creationis, quibus errores philosophorum antiquorum et recentioris aetatis de aeternitate materiae et dualismo solide confutavit; 12 Epistolam ad Pastorem Protestantem scriptam de Romanae Ecclesiae Primatu. Scripsit italice et gallice, et a Gallis nomine Bossueti italici fuit insignitus.

G. T. Gatti, Sacrae Theologiae professor in Seminario Casalensi in Pedemontio, anno 1849 typis Cosmicianis publicavit *Bibliographiam et Hermeneuticam sacram*, et spopondit temporis successu se etiam *Encyclopediam Biblicam et Exegesim* in lucem editurum esse.

Jacobus Nardi, presbyter, anno 1849 Venetiis typis mandavit *Paraprhasim Lytaniarum B. V. Mariae*, et anno 1850 duo volumina inscripta: *Specimen Studiorum de patria potestate, et educatione*. Auctor vivit.

Franciscus Nardi, Sacerdos saecularis, philosophiae, theologiae, et utriusque juris doctor, Juris Canonici in vetusta Universitate Patavina professor, anno 1850 idiomate italico edidit *Elementa Juris Ecclesiastici* tribus voluminibus comprehensa cum additionibus legum in publico-ecclesiasticis latarum. Auctor vivit.

Sebastianus Manicucci, Sacerdos, anno 1851 Lucae lingua italica publici juris fecit Opusculum in tres articulos divisum, cui titulus: *Ratio et Revelatio*. In primo articulo investigat an Deus possit via supernaturali aliquam veritatem hominibus revelare; in secundo inquirit an Deus reapse revelaverit; in tertio tandem characteres externos revelationis exponit.

Antonius Rosmini-Serbati Roboreti in Tyroli nobili genere natus, prius animarum pastor, dein fundator Instituti Clericorum ad operam pietati, litteris, et scientiis navandam, orator, philosophus insignis, scriptor copiosissimus, lingua italica sequentia opera exaravit: 1 De origine idearum; 2 Tractatum de conscientia; 3 Anthropologiam; 4 Principia scientiae moralis; 5 Historiam amoris; 6 Librum de educatione; 7 Catecheses; 8 Sermones parochiales; 9 Opuscula philosophica; 10 Quinque plagas Ecclesiae, opus reprobatum, quarum prima, juxta auctorem, est lingua latina in cultu Religionis publico; secunda, defectus studiorum theologicorum, penuria librorum accomodatorum, absurditas methodi, et defectus gravitatis in pertractandis materiis, cum cathedras obtineant juvenes imberbes scientia et experientia destituti; tertia, Episcoporum discordia; quarta nominatio Antistitum potestati civili relicta. Auctor vitales auras carpit.

Jacobus Bernardi, patria Cenetensis, Sacerdos saecularis, doctor et professor, anno 1851 ex graeco in latinum idioma vertit 90 *homilias S. Joannis Chrysostomi in Evangelium S. Matthaei*; item scripsit *Vitam S. Aloysii Gonzagae*, cui varias adnotationes et preces addidit in usum juventutis.

Antonius Dragoni, Canonicus Primicerius Ecclesiae Cremonensis, Cremonae typis Teraboli in lucem emisit *quatuor sermones catholico-familiares,* quorum primus agit de praedictione, secundus de Primatu, tertius de educatione Cleri, quartus de artibus christianis. Opus est lingua italica et nitido stylo scriptum, atque multa eruditione refertum.

Joannes Nepomucenus Nuyts, professor Juris Canonici in Universitate Augustae Taurinorum, composuit *Institutiones Juris Canonici,* in quibus propositiones Jansenianae, Febronianae, Josephinae, Tamburinianae, Pistorienses reperiuntur; quam ob rem Pius IX, edito die 2 Augusti 1851 Brevi, eas damnavit ceu respective falsas, temerarias, scandalosas, erroneas, in Sedem Apostolicam injuriosas, ejusdem juribus derogantes, Ecclesiae regimen et divinam ejus institutionem subvertentes, schismaticas, haereticas, Protestantibus faventes, et jam in Luthero, Bajo, Marsilio Patavino, Richerio, Labord et Pistoriensibus condemnatas. Nuyts suarum propositionum apologiam scripsit; sed Summus Pontifex, datis litteris, apud Regimen Pedemontanum institit, ut munere docendi privaretur. Regimen Pedemontanum, ne ex toto Sedi Apostolicae reluctari videretur, professorem Nuyts ex Cathedra Juris Canonici ad Cathedram Juris Romani transtulit.

Franciscus Tacini, Archipresbyter Perginensis in Tyroli, anno 1852 typis Josephi Marietti publicavit Opus inscriptum: *Humbertus pro institutione rusticorum.* Hoc opus, italice exaratum, a viris doctis laudatur et commendatur.

Augustinus Pacificus Franciscanus anno 1852 lingua italica librum Neapoli edidit, cui titulum fecit « Ecclesia catholica circa Immaculatam Conceptionem B. V. Mariae.

Karolus Passaglia e Societate Jesu, Theologiae dogmaticae in Collegio Romano Professor publici juris fecit: 1 Commentarios theologicos; 2 Commentarium de praerogativis S. Petri Apostolorum Principis, auctoritate divinarum litterarum comprobatis; 3 Commentarium de Immaculato Deiparae semper Virginis conceptu tribus voluminibus comprehensum.

Franciscus Xaverius Patrizi e Societate Jesu, Doctor Decurionalis Collegii Romani etc. anno 1853 Friburgi Brisgoviae publici juris fecit Opus, cui titulus: *De Evangeliis libri tres,* quorum primus Introductionem in Evangelia, secundus Harmoniam Evangeliorum, tertius Evangeliorum Interpretationem continet. Nuper vero edidit aliud opus inscriptum: De Immaculata Mariae origine a Deo praedicta.

§. 2. *Scriptores ecclesiastici Galli.*

Dionysius Augustus Affre, Archiepiscopus Parisiensis, vir doctus et pius, exemplar Pastorum, qui cum vellet anno 1848 sedare bellum intestinum, quod inter cives et milites Gallos in suburbio S. Antonii fervebat, igneo globulo tactus martyr charitatis occubuit, anno 1846 gallico sermone scripsit aureum libellum, cui titulus: *Introductio philosophica in studium Religionis christianae,* in quo philosophorum sophismata solide confutavit, et dogmata Religionis catholicae stabilivit. Scopus libelli est incautam juventutem a veneno incredulitatis praeservare.

Antonius de Boulogne, Episcopus Trecensis, jam anno 1826 praelo subjecit sermones sacros, qui octo volumina implent.

Bonald, Universitatis consiliarius, posteritati reliquit: 1 Philosophicam demonstrationem divinitatis Religionis christianae, opus omni laude dignum, et Ecclesiae catholicae utile, in quo auctor clare et solide exponit religiosae cognitionis originem, et media ad ejus certitudinem perveniendi suppeditat; 2 Miscellanea litteraria, politica, et philosophica.

Fridericus Eduardus Chassay Philosophiae Professor in Magno Seminario Baiocensi gallica lingua sequentia opera edidit: 1 Puritatem cordis; 2 Manuale mulieris Christianae; 3 Studia clericorum; 4 Doctorem Straus ejusque adversarios in Germania; 5 Litteras de primi hominis lapsu; 6 Christum et Evangelium, historiam criticam systematum neotericorum rationalistarum circa origines revelationis christianae.

Franciscus Augustus Chateaubriand, in Britannia nobili genere natus, laicus, in litteris et scientiis versatus, qui ore et calamo ad religionem catholicam in Gallia restaurandam multum contulit, gallico idiomate scripsit: 1 Atala-Renè, seu amorem duorum silvestrium in deserto; 2 Recordationem Italiae, Angliae et Americae; 3 Genium Religionis Christianae, opus in quatuor partes divisum, in quarum prima agit de mysteriis, Sacramentis, virtutibus et legibus moralibus, de Scriptura sacra, et lapsu primi hominis, de existentia Dei et immortalitate animae; in secunda de epopeis christianis, de poesi relate ad characteres et passiones hominum, de poesi relate ad entia supernaturalia, de Bibliis et Homero; in tertia de artibus ingenuis, philosophia, historia, eloquentia, harmonia Religionis christianae cum natura et passionibus cordis humani; in quarta de Ecclesiis, ornamentis, cantibus, orationibus, et beneficiis a Clero et Religione christiana Societati humanae collatis; scopus operis est demonstrare divinitatem

Jesu Christi ejusque doctrinae, quae sicut hominum indigentiis satisfacit, ita humanitati, libertati, litteris, scientiis et artibus respondet; 4 Itinerarium jerosolymitanum; 5 Martyres, seu triumphum Religionis christianae; 6 Vitam Joannis Bouthelier de la Rencè fundatoris Trappistarum. Maximus annis et meritis fatis cessit anno 1850.

Julius Hadrianus Delacroix Ravignan Bajonae anno 1793 illustri prosapia ortus, Societati Jesu ascriptus, typis mandavit sermones sacros (conférences) quos habuit in quadragesimis ann. 1845, 1846, 1847. Auctor vivit, et celebrioribus Galliae oratoribus adnumeratur.

Ph. Gerbet, olim Francisci de la Mennais amicus et in laboribus litterariis socius, gallica lingua sequentia opera edidit: 1 De dogmate generatore pietatis christianae, seu reflexiones in Sacrificium et Eucharistiam; 2 De dogmate poenitentiae; 3 De controversia christiana; 4 Tentamen Romae christianae, seu tabulas historicas monumentorum Urbis Romae et factorum religiosorum ab origine Ecclesiae usque ad nostra tempora; 5 Reflexiones in lapsum Francisci de la Mennais. Auctor vivit.

Henricus Dominicus Lacordaire honestis parentibus in Burgundia natus est anno 1803. Singulari ingenii acumine a natura dotatus Divioduni litteris et scientiis sedulam navavit operam. Lauream doctoris juris civilis insignitus anno 1821 Lutetiam petiit, et litteras commendatitias a Riamburg praeside tribunalis Diviodunensis acceptas Domino Guillemain, aulico causarum patrono, exhibuit, qui eum hospitio excepit, ut tyrocinium absolveret. Cum esset magis incredulus, quam fidelis, lectione librorum bonorum ad veritatis agnitionem pervenit. Postquam summa cum laude causam egit, rerum mundanarum pertaesus anno 1823 Seminarium S. Sulpicii ingressus est, et militiae ecclesiasticae nomen dedit. Absoluto Theologiae curriculo, et Presbyter ordinatus Opera S. Augustini diligentissime evolvere coepit. Anno 1830 socias dedit manus Francisco de la Mennais in compilandis Ephemeridibus, quibus titulus erat: « l'Avenir ». Accepto praedicandi munere omnes auditores doctrina et eloquentia in sui admirationem rapuit. Anno 1839 Romae in Ordine S. Dominici vota solemnia emisit, et ad dignitatem Provincialis evectus in Galliam rediit, tum ut verbi divini praedicationem continuaret, tum ut Ordinem Praedicatorum restauraret. Quanta polleat facundia vix dici potest. Lacordaire, etsi abstractus et animosus, sicut Elias temporis conditionem repraesentat; Isaiae vestigiis inhaerens praeterita, praesentia et futura in Ecclesia tanquam in centro unitatis colligit, et hoc centrum ceu portum salutis in fu-

rentibus tempestatibus indicat; alter Jeremias lamentatur miseriarum oceanum, quod totum genus humanum deglutire minatur. Merito recens eloquentiae Rhodanus appellatur. Scopus ejus est demoliri aedificium impietatis a philosophis saeculi XVIII erectum, et veritates Religionis Catholicae cordibus Gallorum instillare. Hucusque Patri Dominico Lacordaire debemus: 1 Confutationem systematis Francisci de la Mennais, quam in aetate 28 annorum adornavit; 2 Quatuor volumina sermonum sacrorum, quos in diversis Galliae Ecclesiis, diversisque occasionibus protulit; 3 Vitam S. Dominici Ordinis Praedicatorum fundatoris. Deus O. M. in plura lustra sanum servet hoc Ecclesiae ornamentum, et Dominicanorum decus.

Plantier, Canonicus titularis Ecclesiae Metropolitanae Parisiensis, et Professor Theologiae Lugduni, anno 1849 edidit in lucem sermones sacros multa eruditione refertos, quibus errores philosophorum confutat, et Ecclesiae catholicae auctoritatem stabilit. Est inter mortales.

Thomas Gousset, Archiepiscopus Rhemensis, S. R. E. Cardinalis vir apprime doctus gallica lingua scripsit *Theologiam Moralem, et Dogmaticam*; quae in italicum idioma versa Parmae anno 1850 in lucem prodiit. Hoc opus ab eruditis laudatur et commendatur.

H. E. Wouters in Universitate Lovaniensi Professor, edidit « Compendium Historiae Ecclesiasticae praelectionibus publicis accomodatum » in tres tomos distributum.

Caillau, et Guillot Parisiis ediderunt Patrum Latinorum et Graecorum Collectionem, quae hucusque 148 volumina complectitur. Aliam Patrum Graecorum et Latinorum Collectionem, quae ad numerum 500 voluminum ascendet, inde ab anno 1849 Lutetiae edendam suscepit Migne, presbyter saecularis. Haec Collectio in fronte gerit titulum: *Cursus completus Patrologiae.* Idem Sacerdos aliam fecit Collectionem inscriptam: *Cursus perfectus Scripturae sacrae, et Theologiae.*

Rohrbacher, presbyter, Parisiis publici juris fecit *Historiam universalem Ecclesiae Catholicae.* Hucusque typis excusa fuere 27 volumina, quorum ultimum usque ad Concordatum anno 1801 inter Napoleonem et Pium VII initum pertingit.

I. B. Glaire Decanus, et Professor Sacrae Scripturae Facultati Theologicae Parisiensi lingua gallica edidit: Introductionem historicam, et criticam in Libros V. et N. Testamenti: et Sanctorum Librorum defensionem adversus mythologos, et rationalistas.

Augustus Nicolas, causarum patronus, homo laicus, sed in litteris et disciplinis theologicis versatus, lingua gallica publicavit opus multa eruditione refertum, cui titulus: *Studia*

philosopica de Religione christiana. Totum opus est in tres partes divisum, in quarum prima argumenta philosophica, in secunda theologica, in tertia historica adfert, quibus divinitatem Religionis catholicae probat. Idem contra Guizot protestantem alium exaravit librum inscriptum: *De Protestantismo et aliis haeresibus relate ad Socialismum.* Auctor, qui vita fruitur, omnium expectationem superavit.

A. Guillois, Sacerdos, anno 1852 gallica lingua edidit duo volumina inscripta: *Explicatio litteralis et moralis Epistolarum et Evangeliorum dierum dominicarum et principalium festorum totius anni, feriarum Adventus et Quadragesimae.* Explicationi auctor praeponit notiones historicas et liturgicas valde amenas et utiles. Non possumus satis commendare lectionem hujus operis omnibus fidelibus, potissimum autem Clericis.

Bouix anno 1850 Lutetiae typis Lecoffre edidit *Tractatus de principiis Juris Canonici*, quod opus est in quatuor partes divisum.

Ludovicus Bailly typis mandavit *Theologiam Dogmaticam, et Moralem in Seminariorum usum.* Sacra Indicis Congregatio decreto dd. 7 Decembris 1852 opus hoc in catalogum librorum prohibitorum retulit donec corrigatur.

Horion, Sacerdos, anno 1852 composuit *Triumphum Confessionis Sacramentalis*, libellum aureum, parvum mole, sed magnum pretio, in quo originem divinam et utilitatem Confessionis Sacramentalis demonstrat, et cum philosophorum impiorum, tum haereticorum objectiones et sophismata diluit. Ex gallico idiomate in germanicum Graecii fuit translatus.

Seguier magnitudinem Religionis christianae descripsit, Prat Biographiam S. Irenaei, Poujoulat S. Augustini, Ratisbon S. Bernardi, Montalembert S. Elisabethae, Thomassii Joannis Gersoni, Bousset et Caillot Jacobi Benigni Bossuet, et Francisci Fénélon ediderunt.

Ad eximios Galliae oratores, praeter Lacordaire et Ravignan, spectant Du Coeur, Brunet, Dupanloup, Frépel, Bautin, P. Felix, le Noir, quorum sermones et scripta publicant Ephemerides, quibus titulus: *La Tribune Sacrée.*

§. 3. *Scriptores ecclesiastici Germani.*

Joannes Adamus Möhler, honestis parentibus in regno Virtembergico penes Margentheimum (Igersheim) anno 1796 ortus, in litteris et scientiis versatus, malleus Protestantium, ab anno 1822 Historiae ecclesiasticae in Universitate Friburgensi professor, a regimine politico anno 1826 ad Universitatem Vratislaviensem vocatus, anno 1828 ordinarius Theologiae professor renuntiatus et laurea doctoris insignitus, anno 1835 a Ludovico Maximiliano Bavariae Rege ad Universitatem Monachiensem adscitus, ut in locum eruditi Döllinger Historiam ecclesiasticam traderet. Anno 1838 ab eodem Rege Decanus Capituli Herbipolitani electus, et 12 Aprilis 1838 rebus humanis ereptus germanico idiomate scripsit et posteritati reliquit: 1 Librum de unitate Ecclesiae, seu de principio Religionis catholicae; 2 Magnum Athanasium et Ecclesiam sui temporis in bello contra Arianos; 3 Symbolicam, seu Repraesentationem dogmatum Catholicorum et Protestantium juxta libros symbolicos; 4 Novas investigationes in doctrinam Catholicorum et Protestantium, quod opus composuit contra Christianum Baur, in quo antitheses suorum adversariorum dilucidavit, et Symbolicam specialibus adnotationibus ditavit.

Josephus Franciscus Allioli, Augustae Vindelicorum Capituli Praepositus, jam anno 1844 edidit *Manuale Archeologiae Biblicae*, et *Versionem Scripturae Sacrae* brevibus commentariis ditatam, quae Sedis Romanae approbationem tulit.

Joannes Baptista Hirscher, Theologiae doctor, intimus Magni Ducis Badensis consiliarius, Canonicus Ecclesiae Metropolitanae Friburgo-Brisgoviensis, et in Universitate Friburgi-Brisgoviae Theologiae professor, publici juris fecit: 1 Discussiones in graves quaestiones religiosas praesentis temporis altiori et mediae hominum classi dicatas; 2 Relationem inter Evangelium et Theologiam scholasticam novissimorum temporum; 3 Meditationes Evangeliorum; 4 Moralem christianam ceu doctrinam certitudinis regni divini in humanitate; 5 Vitam Jesu Christi; 6 Cathéchismum.

Josephus Helfert, Doctor et Professor Juris Canonici in Universitate Pragensi, nunc ministerii cultus et publicae instructionis Secretarius, anno 1846 Pragae typis mandavit *Manuale Juris Canonici* ex fontibus communibus et austriacis depromptum. Auctor scripsit germanice.

Josephus Görres, Historiae ecclesiasticae in Universitate Monachiensi professor, laicus doctus et strenuus veritatis catholicae defensor, Monachii anno 1848 mortuus, cui debemus; 1 Triadem; 2 Athanasium; 3 Mysticam christianam; 4 Opus de Ecclesia et Civitate. Scripsit germanice.

Eidem in Cathedra Historiae ecclesiasticae successit ejus filius Guido, singularibus ingenii dotibus praeditus, et eximie excultus, qui patris vestigiis insistebat. Obiit Monachii anno 1853 reliquens posteritati varia opera.

Fridericus Hurter, qui lectione librorum et indagatione

veritatis ex Protestantismo ad Catholicorum castra transiit, cum adhuc in luto erroris haereret sensu catholico scripsit *Vitam Innocentii III*, in qua ingenium, indolem, characterem, et gesta hujus Pontificis vividis coloribus delineavit; qua Catholicus autem elucubravit; 1 Collegas; 2 Persecutionem Ecclesiae catholicae in Helvetia; 3 Nativitatem et Regenerationem. Auctor impraesentiarum est imperialis Bibliothecarius Viennae in Austria, ubi studiis potissimum historicis vacat.

Henricus Klee, Professor Theologiae Dogmaticae prius in Universitate Bonensi, dein Monachii, posteritati mandavit: 1 Systema Theologiae Dogmaticae; 2 Theologiam Dogmaticam; 3 Historiam Dogmatum; 4 Compendium Theologiae Moralis, quod post ejus mortem Moguntiae praelo fuit subjectum. Libri Henrici Klee usibus scholae sunt accommodati.

Josephus Kohlgruber, Tyrolensis, SS. Theologiae doctor, Studii Biblici N. F. prius Graecii dein in Universitate Vindobonensi professor, Ecclesiae Metropolitanae ad S. Stephanum Viennae Canonicus, Consiliarius ecclesiasticus Viennensis et Brixinensis, Viennae anno 1850 edidit *Hermeneuticam Biblicam Generalem* eruditione varia repletam.

Antonius Veith, doctor Theologiae et concionator germanicus prius Viennae, nunc Pragae, Canonicus titularis Ecclesiae Salisburgensis, scripsit idiomate germanico; 1 Orationem dominicam; 2 Samaritanam ad puteum; 3 Eucharistiam; 4 Plures sermones sacros.

Daniel Haneberg, SS. Theologiae professor Monachii, anno 1850 edidit *Introductionem in Libros sacros Veteris et Novi Testamenti* germanice conscriptam.

Antonius Günther, Sacerdos Viennensis, germanica lingua exaravit; 1 Praeparationem ad Theologiam speculativam positivae Religionis catholicae, 2 Lumen meridionale et septentrionale Theologiae speculativae in horizonte; 3 Convivium Peregrini; 4 Capita Jani pro philosophia et theologia. Habet sectatores et adversarios. Insimulatus errorum, Pius IX viros selegit, qui ejus opera examinarent. Mense Octobri 1853 Romam petierunt Theodorus Gangauf, Abbas Benedictinorum et Doctor Valtzer, Canonicus et professor in Universitate Vratislaviensi, ut doctrinae Güntherianae rationem redderent, et auctorem accusatum ab omni labe purgarent, quia hic ob senectam itineri se committere non potuit.

G. P. B. Güntner theologiae Doctor, et Studii Biblici N. T. in Universitate Pragensi Professor p. o. scripsit *Hermeneuticam biblicam generalem juxta principia catholica*. Auctor vivit.

Philipps, professor Juris Canonici prius Monachii, dein OEniponti, impraesentiarum Vindobonae, composuit Historiam

Germanorum habito ad Religionem, Jus civile, Jus Canonicum, et Civitatum Constitutiones respectu.

Fr. A. Scharpff, Doctor et Professor Theologiae ordinarius in Universitate Giessensi, anno 1850 lingua germanica in lucem emittere coepit *Praelectiones Historiae ecclesiasticae novissimorum temporum*.

Ferdinandus Herbst, Theologiae doctor, anno 1850 Dresdae edidit aureum opusculum inscriptum: *Ecclesia et ejus adversarii ultimis tribus saeculis*.

Bernardus Fuchs, Doctor et Professor Theologiae ordinarius Monachii publicavit; 1 Plures sermones sacros; 2 Institutiones Theologiae moralis; 3 Systema Theologiae Moralis usibus accademicis accommodatum.

Conradus Martin, Doctor et Professor Theologiae, nec non Convictus Theologorum Bonae Rector, anno 1851 publici juris fecit *Systema Religionis catholicae pro classibus superioribus Gymnasiorum*, quod etiam a Regimine austriaco fuit adoptatum et praescriptum. Auctor scripsit germanice, et duo volumina implevit.

P. Albertus a Boceno in Tyroli, Ordinis Capucinorum, Definitor et Lector Theologiae emeritus, anno 1852 OEniponti, praevia Ordinariatus Brixinensis et Fr. Venantii a Taurino ejusdem Ordinis Ministri Generalis approbatione, lingua latina emisit in lucem *Institutiones Theologiae dogmaticae*. Opus a doctis viris laudatur.

F. I. Buss, auctor variorum scriptorum, anno 1852 Schaffusiae typis Hurterianis publicavit opus, cui titulus: *Reformationes Cleri catholici in Germania*, quo in opere auctor propugnat quinque reformationes suscipiendas esse, nempe enitendum: 1 Ut Clerus saecularis vitam communem vivat; 2 Ut ubique exercitia spiritualia introducantur; 3 Ut animarum Curatores a servitute Civitatis, seu a scriptitationibus civilibus liberentur; 4 Ut cultus Religionis publicus sit popularis, id est captui populi magis conformis; 5 Ut Clerus negotiis politicis se immisceat, quia veritas politica a veritate morali, et veritas moralis a veritate religiosa pendet, et quia res civiles administrari debent secundum conscientiam, quae Sacerdotum directioni subest. Contradicit ordinationibus Augusti Sibour, Archiepiscopi Parisiensis, qui clericis partem habere in rebus politicis, et laicis quaestiones religiosas in ephemeridibus tractare vetuit.

Josephus Fessler, Sacrae Theologiae doctor, Episcopi Brixinensis consiliarius, Historiae ecclesiasticae et Juris Canonici in Seminario Brixinensi professor, anno 1852 lingua latina in lucem emittere coepit *Institutiones Patrologiae*. Hucusque pro-

dierunt quatuor volumina, quae Patres sex saeculorum complectuntur. Opus est multa eruditione refertum, sed ob materiae copiam usibus scholae haud accomodatum; ideoque optandum operis compendium. Auctor impraesentiarum est professor Patrologiae in Universitate Vindobonensi.

Joannes Schwetz Sacrae Theologiae Doctor, et ejusdem facultatis in C. R. Universitate Vindobonensi Professor P. O. anno 1849 publici juris fecit *Theologiam Generalem* tribus voluminibus comprehensam.

Franciscus Xaverius Zenner, Ecclesiae Metropolitanae Viennensis Canonicus Capitularis, ad Episcopi Suffraganei dignitatem evectus, conscripsit opus Sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus utilissimum, cui titulus: *Institutio Practica Confessarii in compendium redacta.* Auctor vivit.

Augustinus Theiner, natione germanus, desertis Luteranorum castris ad sacra catholica conversus, doctor et professor, ad presbyteri dignitatem elevatus, Congregationem Patrum Oratorii Romae ingressus, Consultor Congregationum Indicis, et super negotiis Episcoporum ac Regularium, membrum Congregationis Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae, Collegii Theologici in Universitate Romana, et Papalis Academiae Archeologicae, Praefectus Coadjutor Archivii secreti Sedis Apostolicae etc. sequentia opera composuit: 1 Historiam Institutorum religiosorum pro educatione; 2 Collectionem quorumdam documentorum publicorum emancipationem Catholicorum in Anglia respicientium; 3 Librum inscriptum: Josephus Henricus Comes de Frankenberg, Cardinalis Archiepiscopus Mechlinensis, Primas Belgii, et ejus conamina pro Ecclesiae et Seminariorum episcopalium libertate; 4 Itinerarium Josephi II; 5 Historiam Pontificatus Clementis XIV duobus tomis comprehensam, quibus addidit tertium, cui titulus: Clementis XIV Pont. Max. Epistolae et Brevia selectiora, ac nonnulla alia acta Pontificatum ejus illustrantia, quae ex secretioribus Tabulariis Vaticanis deprompsit, et nunc primum edidit Augustinus Theiner. Theiner defendit Clementem XIV contra Crétineau-Joly, qui ejus famam laceravit. Idem a Gregorio XVI sollicitatus Annales Baronii Romae continuat.

Henricus Josephus Wetzer, philosophiae et theologiae doctor, linguarum orientalium professor, et Benedictus Welte doctor et professor theologiae in Universitate Tubingensi, adjuti a doctis Germaniae viris, quos inter sunt Allioli, Alzog, Brunner, Helfert, Hurter, Müller, Philipps, Scharpff, Veith etc. Friburgi Brisgoviae edunt *Lexicon, seu Encyclopediam Theologiae catholicae, ejusque scientiae auxiliares.* Hoc vastum opus, verum scientiae theologicae promptuarium, principiis catholicis superstructum, ordine alphabetico digestum, perspicuitate et sano judicio commendabile, meretur ut in omnes linguas cultas vertatur, quatenus eruditionis ecclesiasticae amatores commode, et sine magna temporis jactura possint haurire cognitiones, quae ad latum studiorum sacrorum campum spectant.

Guillelmus Görtner, Sacerdos Viennensis, publici juris fecit opusculum inscriptum: *Quid attulerunt nobis Episcopi Viennae congregati?* in quo necessitatem Synodos dioecesanas celebrandi, et institutionem religiosam ad verum scopum dirigendi demonstravit (*).

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Praecipua doctrinae catholicae capita.*

Per tria saecula nullum in Ecclesia Catholica Concilium generale fuit celebratum; hinc decisiones Synodi Tridentinae manent semper praecipua credendi et agendi norma. Etiam hac periodo Ecclesia catholica credidit in divinitatem et integritatem Librorum V. et N. Testamenti a Patribus Tridentinis in canonem relatorum, in divinam Traditionem, in doctrinam de lapsu Protoparentum, de transitu peccati originalis in posteros, de justificatione, de septenario numero Sacramentorum, de necessitate bonorum operum, de monogamia, de praestantia virginitatis et coelibatus, de potestate Ecclesiae docentis impedimenta matrimonii cum accidentalia, tum essentialia statuendi et relaxandi, et causas matrimoniales judicandi, de conjugii indissolubilitate, de existentia Purgatorii, de precibus pro animabus purgantibus fundendis, de Sanctorum invocatione, de cultu sacris imaginibus et reliquiis exhibendo, de utilitate Indulgentiarum. Rem ita sé habere fidem nobis faciunt opera Scriptorum ecclesiasticorum, et decreta Romanorum Pontifi-

(*) *Nota.* Ultro confitemur nos, ob fontium defectum, haud posse omnes enumerare Scriptores, qui Ecclesiam et Religionem Jesu Christi vel illustrarunt, vel defenderunt. Non possumus tamen silentio praeterire celeberrimum Wiseman, natione Anglum, ad dignitatem Cardinalis et Archiepiscopi elevatum, theologum profundum, et acerrimum veritatis catholicae defensorem, qui hucusque praelo subjecit: 1 Declarationem doctrinae et morum Ecclesiae catholicae; 2 Relationes usitatae liturgiae in Hebdomada sancta; 3 Horas Syriacas; 4 Sterilitatem Missionum protestantium; 5 Duodecim praelectiones de investigatione Religionis revelatae.

Memorari quoque meretur Josephus Lonovitz Scandenensis in Hungaria Episcopus, a potestate civili sua sede privatus, et ad claustrum in Austria relegatus, qui lingua hungarica scripsit librum, in quo putidam originem et absurditatem systematis Josephini demonstravit.

cum, qui errores hinc inde repullulantes confixerunt. Ecclesia Catholica, columna et firmamentum veritatis, contra quam portae inferi praevalere non possunt, disciplinam quidem pro temporum circumstantiis et populorum necessitatibus immutat, sed in rebus fidei et morum a doctrina Christi transversum unguem non discedit. Semper creditur, quod creditum fuit.

§. 2. *Doctrina de immaculata conceptione B. V. Mariae.*

Nobis in animo est strictim doctrinam de immaculata conceptione B. V. Mariae exponere. Exordiamur a Sanctis Ecclesiae Patribus. Dionysius Areopagita: « Super omnes coelites spiritus sanctissima ». Origenes: « Neque serpentis veneno infecta ». S. Cyprianus: « Non sustinebat justitia Dei, ut illud vas electionis lassaretur communibus injuriis ». S. Gregorius Naz.: « Vitis semper vigens, flos vitae immaculatus ». S. Ambrosius: « Virga est, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpae ». S. Augustinus: « Cum de peccato agitur, de Beata Virgine quaestionem esse nolo ». S. Hieronymus: « Nubes beata Virgo, quae nunquam fuit in tenebris, sed in lumine . . . Vere hortus deliciarum . . . , sicque conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis ». Concilium Basileense Sess. 36 doctrinam de immaculata conceptione Deiparae Virginis tanquam piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi et sacrae Scripturae definivit, contrariumque praedicare prohibuit, et ejusdem sanctae conceptionis festum celebrari jussit, quod ab omnibus fuit receptum. Ecclesia celebrans Mariae conceptionem, nunquid peccatum celebrat? Nequaquam; ea intendit celebrare privilegium Mariae concessum, ea implicite credit Mariam sine macula fuisse conceptam. Sixtus IV Papa, editis Bullis omnibus immaculatam conceptionem Deiparae Virginis celebraturis indulgentias largitus est. Saeculo XV omnes Universitates juramento se adstrinxerunt ad defendendam immaculatam conceptionem B. V. Mariae. Synodus Tridentina Sessione V, declaravit non esse suae intentionis comprehendere in decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et *immaculatam* Virginem Dei Genitricem. Anno 1655 Ecclesia Hispanica ad Summum Pontificem Alexandrum VII sequens misit votum: « Pro honore Filii Dei ejusque matris, pro auctoritate Sedis Apostolicae, pro gaudio fidelium, pro extirpatione omnium errorum, pro unitate Ecclesiae, pro pace mundi, pro excidio ejus doctrinae, populus, principes, Clerus, Antistites, pii, docti, tota Ecclesia unanimiter petit, ut Sanctitas tua veritatem de immaculata conce-

ptione B. V. Mariae, quam Ecclesia credit et confitetur, declarare dignetur ita, ut nemo possit amplius contradicere. Placeat Beatitudini tuae exemplum imitari plurium sanctorum Pontificum, tuorum antecessorum, qui cultum B. Virginis Matris Dei dilatarunt, ut Ecclesiae patienti subvenirent » (*a*). Saeculo XVIII piissimus Pater Leonardus a Portu Mauritio, Ordinis Franciscanorum, uti patet ex ejus epistola Romae asservata, a Clemente XII postulavit, ut doctrinam de immaculata conceptione B. V. Mariae dogma fidei declararet. Summus Pontifex eidem commisit, ut singulorum Cardinalium consilia exquireret, quos propensissimos invenit; ast Supremus Ecclesiae Pastor morte praeventus nullam fecit declarationem. Pater Leonardus pro sua in B. V. Mariam pietate ad id sollicitavit Benedictum XIV, qui ei respondit se cupere, ut quaestio de immaculata conceptione Deiparae Virginis in Concilio Generali discutiatur et definiatur. Sub Clemente XIV Joachimus Osma, qui Carolo Hispaniae Regi a confessionibus erat, doctrinam de immaculata conceptione B. V. Mariae adeo propugnavit, ut in praemium sui zeli a summo Pontifice ad dignitatem Archiepiscopi Thebani fuerit evectus. Pontifex optabat declarare B. V. Mariam fuisse sine macula conceptam; sed tempora non erant propitia (*b*). Gregorio XVI Pontificatum tenente Cardinalis Lambruschini opusculum edidit, in quo clare et solide demonstravit, Matrem Dei sine macula fuisse conceptam, facta inter activam et passivam conceptionem distinctione. Gregorius XVI ad faciendam dogmaticam declarationem inclinabat; sed consensum omnium Episcoporum praestolabatur. Pius IX ad solium S. Petri elevatus, vestigiis Gregorii XVI insistens, datis litteris mentem Antistitum totius orbis catholici exploravit, qui, paucis exceptis, non solum consensum dederunt, verum etiam summum Pontificem rogarunt, ut dogmatice definiret B. V. Mariam sine peccato conceptam fuisse. Speciatim Episcopi Sardiniae, quibus praesidebat Joannes Saba ad id ab Archiepiscopis Calaritano, et Sassarensi delegatus, in Concilio congregati anno 1850 declararunt, se ardentissime desiderare, ut Sancta Sedes Apostolica dogmatice decernat, Deiparam immaculate conceptam fuisse. Pius IX omnibus orbis catholici Episcopis facultatem fecit, ut, si vellent, Missam propriam de immaculata conceptione B. V. Mariae in suas dioeceses introducerent. Reapse in pluribus dioecesibus Italiae, Galliae, Hispaniae, Germaniae, Illirici Clerici tam saeculares, quam regulares de Episcoporum mandato

(*a*) Theiner Hist. Pontif. Clementis XIV, t. 1, p. 324.
(*b*) Theiner. l. c.

Officium de immaculata conceptione recitant, et in Missae Praefatione addunt: *Et te in immaculata conceptione.* Unde luculenter patet, totam Ecclesiam in doctrinam de immaculata conceptione B. V. Mariae non solum propendere, sed etiam implicite credere. Quaeritur nunc si Ecclesia doctrinam de immaculata Mariae conceptione fidei articulum declararet, forsitan novum procuderet dogma? Minime gentium; Ecclesia nihil aliud faceret, quam explicite manifestare quod implicite semper credidit.

Tandem controversiae de immaculata B. V. Mariae conceptione, quae longa annorum serie inter Scotistas et Thomistas efferbuit, finis impositus est die 8 Dec. 1854 ita, ut sine haereseos nota nemini amplius liceat defendere aut opinari Deiparam veneno culpae originalis infectam fuisse. Haec gloria debebatur Pio IX qui matrem Dei singulari prosequitur amore, in praemium dolorum et aerumnarum, quibus furente tempestate obnoxius fuit, ut tanquam aurum in fornace probaretur. Perceptis praevie omnium orbis catholici Episcoporum votis, indictisque supplicationibus, Petri successor desiderio ovium et agnorum satisfacturus primarios omnium nationum Antistites mense Novembri 1854 Romam accivit, ut eidem adessent in consilio, declarationi dogmaticae assisterent, ac splendorem solemnitatis jucundissimo eorum conspectu augerent. Ad vocem amantissimi Patris ex omnibus mundi partibus accurrerunt Praelati vel cardinalitia, sive patriarchali, sive archiepiscopali, sive episcopali dignitate insigniti. Quatuor Romae habitae sunt Episcoporum Congregationes, quibus praefuerunt Cardinales Brunelli, Caterini, et Santucci. Singulis Episcopis integrum fuit dubia movere, ad quae solvenda omniaque in clara luce ponenda aderant viri doctrina praestantissimi, quos inter Joannes Perrone, Carolus Passaglia, Schräder Societatis Jesu, Antonius ab Arignano franciscanus, Spada dominicanus, P. Trullen Conventualis, Palermo Augustinianus, et Romanae Curiae Praesules Barnabò, Bizzarri, Pacifici, Tomassetti, Capalti, Frattini, Cannella, Angelini, Berardi, et viri dignitate episcopali insigniti, Rosani, Tizzani, Maciotti, et insuper Cossa et Audisio in Pontificia Studiorum Universitate professores eminebant. Quaestione de immaculato Virginis conceptu omnem in partem discussa et explanata Antistites concordes dixerunt, dogmaticae definitioni nihil obstare. In pervigilio conceptionis B. V. Mariae tota pluebat nocte, sed redierunt spectacula mane adeo, ut sol visus fuerit radiis suis festum illustrare et laetificare. Die 8 Dec. Supremus Ecclesiae Pastor, in comitatu 54 Cardinalium, unius Patriarchae, 42 Archiepiscoporum, 98 Episcoporum, aliorumque

Praelatorum, ad Ecclesiam S. Petri processit, et Missam solemnem celebravit, cui 12 seniores Archiepiscopi assistebant. Post Evangelium graece et latine cantatum, implorato Spiritus sancti auxilio, Pius IX cathedram conscendit, et Cardinalis Macchi, sacri Collegii Decanus, ad pedes Vicarii Jesu Christi provolutus, totius Ecclesiae nomine instanter postulavit, ut votis supplicantium annuens doctrinam de immaculata B. V. Mariae conceptione, quam Ecclesia hucusque implicite professa est, fidei articulum explicite declarare dignaretur. Papa summo perfusus gaudio, et in lacrymas solutus, coram Clero et innumerabili hominum multitudine promulgavit decretum, quo solemniter definivit, B. V. Mariam, matrem Dei, per merita Jesu Christi fuisse sine labe originali conceptam, et anathema dixit omnibus, qui deinceps hanc doctrinam impugnare auderent. Laetus campanarum sonus et bellicorum tormentorum crepitus Urbi et Orbi hanc diu desideratam definitionem nuntiarunt. Post incruenti Sacrificii celebrationem Summus Pontifex Sacellum Chori ingressus coronam auream fulgentibus gemmis ornatam capiti imaginis B. V. Mariae imposuit. Quo facto Pater Venantius a Coelano, totius Ordinis Seraphici Minister Generalis, immortales gratias egit Pastorum Pastori, quod dogma fidei dignatus fuerit declarare doctrinam, quam S. Francisci Filii semper et ubique propugnarunt, atque in grati animi et filialis observantiae tesseram lilium ex argento confectum obtulit hisce verbis: *Quod diu, a saeculis, Beatissime Pater, speciali devotione tota exoptabat Franciscalium familia, illud ipsum hodie infallibile Apostolici oris tui complevit oraculum. Quapropter haec seraphica Soboles laetabunda divinam semper exorabit Majestatem, ut jugiter Sanctitatem tuam in bonum Ecclesiae universae incolumem servet. Et ego una cum meis hisce Collegis, Cliens obsequentissimus Sanctitatis tuae nomine trium Ordinum sancti Patriarchae Francisci, qua ejus, licet indignus, successor offero lilium, Symbolum, quod est Puritatis omnimodae in primo instanti CONCEPTUS IMMACULATI Beatissimae Virginis Mariae.*

Ita Ordo Seraphicus de adversariis triumphum egit. Vespere populus romanus sponte Urbem totam ita illuminavit, ut nox in diem fuerit conversa. Roma vicit Ephesum pompa. Clerus tam regularis, quam saecularis, in omnibus Templis et Oratoriis Urbis per triduum dogmaticae declarationis solemnia celebravit, et diserti Oratores panegiricos sermones de immaculato Virginis conceptu protulerunt. Die 9 Decembris Episcopis in Vaticano congregatis Pontifex laetabundus gratias egit, quod in re tanti momenti et consilio et opera ei praesto fuerint, ad perpetuam rei memoriam aureum numisma et

imaginem B. V. Mariae sine macula conceptae benigne largitus est, atque impense commendavit, ut ad suas sedes reversi Religionem et ecclesiasticae potestatis autonomiam contra impiorum hominum ausus tueri non desistant. Archiepiscopus Lugdunensis (Bonald) omnium Episcoporum nomine Ecclesiae Capiti cum pro facta declaratione, tum pro benevolentia ipsis exhibita grates rependit. Hac occasione vota omnium orbis catholici Episcoporum in unum collecta sumptibus Pii IX Romae in lucem prodiere, quae novem volumina implent. Et augmentari numero valde possunt: nam fere pervigilia sospiratae definitionis dogmaticae pervenerunt Romam ex Familia Franciscalium aliae elucubrationes super eodem argumento, nempe: *Fondamenti ortodossi per la definibilità dell'* IMMACOLATO CONCEPIMENTO DI MARIA *santissima,* esaminati dal P. Angelo di Brisighella M. O. - *Dictamen sobre el misterio de la IMMACULADA CONCEPCION de Maria Santissima, presentado por el F. Felipe Navaro* M. O. - *Trionfo de la verdad en justa defensa del misterio encumbrado de la CONCEPCION SIN MANCHA DE MARIA por el F. Luis Godinez Garcia M. O.*

Et praefatus Reverendissimus P. Minister Generalis Ordinis Minorum Venantius a Coelano Praefationem jam composuerat Missali Seraphico addendam tenoris, qui sequitur « Vere dignum et justum est . . . aeterne Deus: *Qui a diebus aeternitatis humanum genus per Filium tuum redimere decrevisti: Matrem humanam genus, in qua Verbum caro in tempore fieret, ex Adae progenie quoque, in qua Verbum caro in tempore fieret, ex Adae progenie praeparasti. Illamque ex morte Filii ejus praevisa, omnimoda sanctitate praevenisti; et hodie ex radice Jesse sine ulla originali labe concipi, et Mariam Immaculatam nobis donari constituisti.* Quae et Unigenitum tuum etc. » Per intercessionem Matris misericordiae copiosiora a Deo optimo maximo speranda esse bona, nemo ullus in dubium vocabit, nisi qui fidem negavit, et est infideli deterior.

§. 3. *Controversia Hirscheriana.*

Auctor hujus controversiae est I. B. Hirscher in Ducatu Badensi Theologiae professor, et Ecclesiae Friburgensis Canonicus. Is anno 1846 germanico idiomate scripsit et typis mandavit opus dogmaticum, cui titulus: « Discussiones gravium quaestionum religiosarum presentis temporis altiori et mediae hominum classi dedicatarum ». Anno 1849 edidit librum inscriptum: « Praesens Ecclesiae status ». Tandem anno 1850 publici juris fecit: « Responsum adversariis mei opusculi datum ». In hisce libris auctor errores disseminavit circa coelibatum clericorum eorumdemque saecularizationem, circa cultum Religionis publicum, Confessionem Sacramentalem, Sacramenta moribundorum, Missas pro defunctis, Indulgentias, Confraternitates, venerationem Sanctorum, et alia capita doctrinae et disciplinae Ecclesiae Catholicae. Summa errorum I. B. Hirscher haec est: 1 Quaestio de Clericorum coelibatu ad tranquillandam plurimorum conscientiam ab auctoritate ecclesiastica examinari et definiri debet. 2 Clerici tam saeculares ad sacros ordines promoti, quam regulares solemni castitatis voto adstricti, et sua sorte haud contenti, ad statum laicalem reducendi sunt ita, ut validum contrahere possint matrimonium, secus eorum animae in desperationem actae pereunt. 3 In cultu Religionis publico lingua vernacula est adhibenda, ut populus suam vocem vocibus clericorum miscere, et Deum laudare queat. 4 Confessio sacramentalis debet esse generalis et publica, ne populus verae praeparationis incapax, cogatur sacrilegia committere, et vel ad finem vitae confessionem et communionem differre, vel confessionem ex mera consuetudine peragere. 5 Usus moribundis Sacramenta administrandi est reprobandus, quia infirmi non amore filiali ducti, sed metu compulsi et sine ulla praeparatione Sacramenta suscipiunt. 6 Populus credens Missae Sacrificium animabus defunctorum suffragari in errore versatur. 7 Populus per indulgentiam intelligit remissionem peccatorum, adeoque fallitur, et veram conversionem negligit. 8 Generatim Confraternitates sine ulla necessitate formantur, et quia finem specialem sibi praefigunt, sunt fecunda spiritualis superbiae, falsae tranquillitatis, et amoris suimetipsius germina. 9 Ornamenta ecclesiastica sunt inutilia, quia Deus est purus spiritus, et qui eum adorant, in spiritu et veritate debent adorare. 10 Veneratio Sanctorum maximam partem cultus publici absorbet; Sanctis non debetur talis veneratio et fiducia; delectus patroni pro quolibet regno, qualibet provincia, qualibet civitate, quolibet loco, quolibet homine paganismum sapit. Contra audacem horum errorum auctorem, qui in superbiam elatus Ecclesiam catholicam, veritatis magistram, docere praesumpsit, plures cordati et eruditi viri in Germania calamum strinxerunt, eumque confutarunt, quos inter Sacerdos dioecesis Limburgensis in opusculo inscripto: *Hirscher et Ecclesia catholica,* ubi auctoritate potissimum Conciliorum systema reformationis ab Hirscher propositum evertit. Sacra Indicis Congregatio die 13 Nov. 1849 omnia scripta I. B. Hirscher utpote continentia pravam doctrinam ex operibus Lutheranorum et actis Synodi Pistoriensis haustam condemnavit.

§. 4. *Methodus tradendi Theologiam.*

Studium rerum naturalium a celeberrimis viris Marcel-

lo de Serres, Champollon, Cuvier, Ampér, Brogniart, Humbold, Arago, ceterisque magis perfectum, et novae inventiones Theologis argumenta suppeditarunt, quaedam Religionis capita clarius explicandi et solidius stabiliendi. Amor vero Religionis demonstrandae et tuendae effecit, ut plures materiis ecclesiasticis pertractandis operam navarent. Generatim tam Philosophi, quam Theologi catholici in id unum omnes cogitationes intendunt, ut aedificium incredulitatis praeterito saeculo constructum demoliatur. Veritates a Deo hominibus revelatae, quarum custos fidelis et interpres infallibilis est Ecclesia, nullis mutationibus sunt obnoxiae, adeoque materia theologica semper et ubique eadem est: ast forma, seu methodus eam tradendi pro temporum et regionum diversitate diversa est. Etenim forma primorum saeculorum a forma medii aevi, et haec ab illa recentiorum temporum differt; quae formae diversitas obtinet etiam intuitu regionum, siquidem Theologia alia methodo traditur in Italia, alia in Gallia, alia in Germania etc. In Italia tempus insumunt potius in Theologia dogmatica et morali, quam in reliquis scientiis auxiliaribus, et a methodo scholastica necdum recesserunt. Pater Venantius a Coelano, Ordinis Seraphici Minister Generalis in omnibus Conventibus Italiae suae jurisdictioni subjectis, in quibus scholae adsunt ad filios S. Francisci in disciplinis theologicis solidius erudiendos, erexit cathedras Historiae Ecclesiasticae, et Juris Canonici; ita factum est, ut haec magni momenti stùdia, quibus hucusque Religiosi sponte vacabant, nunc evaserint obligata. In Gallia Theologiae speculativae sedulo vacant Gerbet, Bautin, Lacordaire, Marcellus de Serres, Debreyne, Rio, Siguier, Bedrin, Receveur, Rorbacher, aliique. Viennae in Austria anno 1849 Doctor Häusle publici juris fecit opusculum, in quo demonstravit methodum tradendi Theologiam in toto imperio Austriaco reformatione indigere. Anno 1852 Regimen politicum selegit Episcopos et doctiores professores, ut deliberarent quae reformatio in studiis suscipienda foret. Exitus nos latet. Interim omnes disciplinae theologicae in imperio austriaco, sicut prius, quatuor annorum curriculo absolvuntur, et tradi debent a professoribus approbatis. Generatim praescribuntur linguae hebraica et graeca, Studium Biblicum V. et N. Foederis, Historia Ecclesiastica, Patrologia, Jus Canonicum, Dogmatica, Moralis, Pastoralis, Cathechesis. Studium linguarum Semiticarum, et Exegesis sublimior ab illis exiguntur, qui ad gradum doctoris aspirant. Metaphysicam, a Gymnasiis exclusam, in Seminariis unus ex professoribus Theologiae docere tenetur. Ad studia theologica non admittuntur nisi juvenes, qui cum progressu scholas gymnasiales absolverunt (*).

(*) Ephemerid. Tyrol. A. 1849, num. 14.

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS ET SCHISMATIBUS.

§. 1. *Nova Ecclesia in Gallia.*

Spiritus innovationum non solum laicos intuitu Civitatis, verum etiam Clericos respectu Religionis ubique gentium invasit et fascinavit ita, ut novas regiminis politici formas, et novas Ecclesias crearent. Sic Chatel anno 1795 in Gallia natus, et ab anno 1823 capellanus campestris, in patria sua fundavit novam Ecclesiam ab omni extraneo Capite et a Clero principibus expulsis addicto separatam, ut ejus membra vinculis fidei essent soluta. Sublatis anno 1830 capellanis campestribus, cum nullus Episcopus hos presbyteros haud boni nominis in suam dioecesim recipere vellet, Chatel cum suis collegis Lutetiae domicilium fixit, ubi cum Episcoporum hostibus se conjunxerunt. In formula fidei, quam Chatel suis asseclis dedit, simulat sibi cordi esse aggressiones, quibus quotidie exposita est Ecclesia Catholica, et confitetur ab Episcopis nullam omnino reformationem sperandam fore, negat Primatum Romani Pontificis, et infallibilitatem Ecclesiae tam dispersae, quam congregatae, asserens civilem et religiosam libertatem cum Ecclesiae infallibilitate consistere non posse. Ut temporis genio se accommodaret sequentia placita suae Ecclesiae praescripsit; 1 Omnis potestas est a populo; 2 Potestas spiritualis a temporali debet esse segregata; 3 Potestas temporalis Romani Pontificis legibus divinis est contraria; 4 Quilibet presbyter tenetur legibus patriae obedire; in rebus tamen religionis a civili potestate non dependet; 5 Cuilibet ratio est norma propriae persuasionis, et regula credendi etiam contra Scripturam sacram; 6 Septem Sacramenta sunt retinenda; 7 Confessio auricularis est libera, infantibus tamen commendanda; 8 Coelibatus Clericorum et jejunia debent aboleri; 9 Cultum divinum et Missae Sacrificium in lingua vernacula celebrare oportet; 10 Veneratio Sanctorum est gratiarum actio Deo facta, quia Sanctis auxilium praebuit; 11 Hierarchia uno Patriarcha, uno ejusdem Coadjutore, Episcopis, Presbyteris, et Diaconibus constat.

Jam anno 1831 membra hujus novae Ecclesiae in promptuario clibani erexerunt altare, in cujus lateribus erat scriptum: « Gloria et Patria » (Gloire et Patrie). Ab initio Chatel divinitatem Jesu Christi praedicabat; tardius vero cultum latriae ei denegavit. Hujus contradictionis admonitus respondit, populum esse ita ignorantem, ut possit ad Christi deser-

tionem induci, dummodo externae ceremoniae cum ejus fide concordent. Historica concionandi methodus permultos auditores et asseclas ei conciliavit. Die dominico ab hora secunda ad quartam, quibus famuli, operarii et milites liberi erant, concionabatur de gloriosis quorumdam populorum victoriis, de liberis eorum constitutionibus, et religiosis usibus, qui, juxta Chatel, nihil aliud erant, quam commenta Sacrificulorum et impietas, quique in Christianam quoque Ecclesiam irrepserunt. Auditores, quorum numerus aliquando usque ad 8,000 crevit, non tantum ejus sermones benignis excipiebant auribus, sed etiam ei applaudebant. In Ecclesia Missam celebrabat etiam pro celebrioribus mulieribus; quam ob rem plures nobiles foeminae ejus sectae nomen dederunt, et Ecclesiam manuum suarum laboribus exornarunt. Cultum exhibebat Napoleoni Magno, quem Christo comparabat. Anno 1835, tempore Adventus, praedicabat contra Papatum, poenam mortis, suicidium, et Judeorum emancipationem. Postquam Franciscus de la Mennais in ephemeridibus « l'*Avenir* » sectam hanc publice aggressus est, et demonstravit ejus doctrinam absurdam et risu dignam esse, sensim omnes ab ea defecerunt. Chatel ab omnibus derelictus Ordinem Templariorum (species Francomurariorum) ingressus est, a quo ad Episcopi dignitatem fuit elevatus. Archiepiscopus Parisiensis, edita pastorali epistola, oves suas monuit, ut a secta Templariorum caverent. Chatel Ordinem, a quo ambabus ulnis fuerat susceptus, atheismi accusavit, et publice negavit se gradum Episcopi ab eo accepisse. Cum haec secta non minus Ecclesiae, quam paci et tranquillitati Civitatis funesta esset, auctoritas civilis eam ad nihilum redegit ita, ut hodie nonnisi in historia ejus mentio fiat (*a*).

§. 2. *Socialistae et Communistae.*

Socialistae et *Communistae* illi vocantur, qui, sublato proprietatis jure, ex toto genere humano unam formare conantur societatem, regnum justitiae appellandam, in qua omnia bona communia sint. (*b*) Anabaptistae saeculo XVI docebant, homines liberos nasci, aequalem bonorum temporalium communionem introducendam, tributa et vectigalia abolenda, de-

(*a*) Scharpff Prael. H. E. fasc. I, p. 123.

(*b*) *Nota.* Nihil novi sub sole. Jam saeculo V in Perside, sub rege Cabade, Mazdek Archimagus praedicavit communitatem bonorum et mulierum, adiaphoriam actionum, omnes homines esse aequales, eosque solum concupiscentiae carnali obedire debere. In Cyrenaica sequens inscriptio fuit inventa: « Communitas bonorum et mulierum est unicus fons justitiae divinae; haec est vera pax hominum praestantium, qui a caeca plebe segregati vivunt in communitate secundum praecepta Zoroastri, Pithagorae, et meliorum Gerophantum. »

cimas, census, doctores, ministros abrogandos, regnum justitiae fundandum, omnemque adversarium ferro et igne exterminandum esse. Saeculo XVIII Albertus Radicati, comes de Passerano, in libro inscripto: *Licurgus et Nazarenus inter se collati* ostendit finem utriusque fuisse omnis peculii abrogationem et perfectam aequalitatem. Joannes Jacobus Rousseau omnes homines liberos praedicavit. Comes de Mirabeau et alii seditionis gallicanae legislatores asseruerunt, jus proprietatis non esse in humana natura fundatum, sed a societate creatum, adeoque hanc jus illimitatum in proprietatem habere. Maximilianus Robespierre anno 1790 a Conventu nationali obtinuit, ut jus testandi aboleretur, et jus possidendi declararetur precarium. Saint-Just aliique Robespierri satellites pauperes in divites concitabant, ut horum bona in partes aequales dividerent. Grachus Babeuf gallus, et Bonaroti florentinus, societatis Platonicae, seu aequalium fundatores dicebant, absolutam et perfectam bonorum omnium aequalitatem esse primarium naturae votum, primam hominis necessitatem, praecipuum societatis humanae vinculum, jus proprietatis peculiare injustitiam, terrae fructus non ad singulos, sed ad omnes pertinere; debacchabantur in urbes, luxum, pompam, praestantiam intellectualem et moralem, institutionem, rati sufficere ut populus discat servire et patriam tueri; moliebantur fundare Rempublicam libertatis, aequalitatis et fraternitatis; sed a Directorio, cui eorum principia non arridebant, extremo supplicio fuere affecti. Carolus Fourier supposuit quinque motus; 1 *materialem*, id est attractionem mundi; 2 *organicum*, seu attractionem emblematicam proprietatis, *instinctivum*, seu passionum et instinctuum attractionem; 4 *atomalem*, seu attractionem corporum imponderabilium; 5 *socialem*, seu attractionem ad futurum suum finem. Ut divites pauperibus exosos redderet, miseriam infimae classis, politicam corruptricem, familiarum discrepantiam, et conflictum inter ordinem moralem et physicum delineavit. Robertus Owen, Anglus, cui assentit Carolus Fourier, aperte liberum hominis arbitrium negat, asserens, hominem fato inevitabili esse subjectum, id est instinctibus naturalibus, et fortuitis circumstantiis exterioribus ad agendum determinari, omnes errores a regimine civili commissos, omnia mala, quibus genus humanum affligitur, emanasse ex eo, quod creditum fuerit, hominem libertate pollere. Juxta Robertum Owen nullum inter homines datur discrimen, nisi aetatis; omnes homines eundem studiorum curriculum debent absolvere; usque ad annum aetatis decimum quintum debent educari; a decimo quinto ad vigesimum quartum necesse est, ut laborent; a vigesimo quarto ad trigesimum administratores et distributores thesauri socialis

constituantur; a trigesimo ad quadragesimum eisdem regimen internum communitatis tradendum, adeoque anno aetatis 30 sponte officio administratorum et distributorum tenentur se abdicare, atque a juvenibus quotidiana alimenta accipere; a quadragesimo ad sexagesimum relationibus communitatum circumstantium praesideant; a sexagesimo usque ad mortem sint membra Collegii, cui in totam societatem potestas tributa est. (*) Ejusdem farinae homines fuerunt Saint-Simon, Lechevalier, Lherminier, Enfantin (H. E. Par. V, cap. 6, §. 36). Hodie primipili hujus formidabilis sectae, Ecclesiae non minus, quam Civitati infestae, sunt Prudhon, Ledru-Rollin, Aloysius Blanc, Blanqui, Reybeau, Ruge, Struwe, et plures alii. Secundum horum principia, jus proprietatis est fons omnium delictorum, omniumque malorum, quibus humana familia contaminatur et torquetur; ad regnum justitiae fundandum, sublato proprietatis jure, necesse est vel ut nemo aliquid possideat, vel ut omnes aequaliter possideant: in primo casu bona temporalia omnium civium ad Civitatem, seu ad Civitatis Rectores devolvi debent, qui ceu Patres familias ea omnium nomine administrare, et inter cives distribuere tenentur; in secundo quilibet civis aequalem debet portionem accipere, acceptam administrare et necessaria sibi comparare. *Æconomistae* docent, jus proprietatis esse privilegium, monopolium necessarium: *Socialistae* admittunt jus proprietatis ceu privilegium necessarium, sed pro nihil habentibus petunt compensationem: *Communistae* concludunt, privilegium esse abolendum, bona et gaudia aequaliter distribuenda, homines compensandos non secundum capacitatem, sed juxta indigentias. Mirum, quod Franciscus de la Mennais, ex apostolo veritatis in plebis tribunum conversus, ipsi Christo galerum demagogi imponat, vividis coloribus miseriam plebis depingat, incomparabili eloquentia clamitet contra divites, quos carnifices gaudentes et dominantes nominat, et populum excitet ad jugum dominorum excutiendum, catenas infringendas, absolutam aequalitatem assequendam, et societatem fundandam, in qua solus Christus sit supremus et unicus legislator.

Generatim in systemate *Socialistarum* et *Communistarum* homo est merum automa, et quia nulla datur libertas, nulla moralis obligatio, omnis religio non solum est inutilis, sed et naturae contraria. Cum quilibet homo agere debeat non quod prodesse sibi credit, sed quod potestas civilis eidem agendum imponit, sequitur eum carere libertate animi facultatibus

(*) Manifeste de Robert Owen inventeur et fondateur d'un système de société et des réligions naturelles n. 8, n. 13.

utendi. Jus proprietatis tollitur, et possessores evadunt illi, qui ad clavum Reipublicae sedent. Libertas privatam societatem formandi evanescit, quia soli societatis Rectores jus habent homines uniendi, vel vincula societatis solvendi. In locum patriae, nationis, societatis civilis, societas totius generis humani substituitur. Proles non educantur a Parentibus, sed a Regimine civili. Fides conjugalis, auctoritas paterna, pietas filialis delentur. Omnia jura naturalia, civilia, politica cessant. Libertati morali surrogatur licentia, seu libertas agendi sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Hoc systema pauperes in divites concitat, frena rapinis et seditionibus laxat, societatem subvertit. Non immerito opinamur ipsos sectae hujus promotores de systematis absurditate intime convictos esse; ast sunt homines ambitione tumidi, qui rudes pauperes et operarios praetextu felicitatis assequendae ad seditionem inflammant, ut ipsi eorum ope summa rerum in societate potiantur, quem scopum si obtinerent, de systematis executione neque cogitarent, imo tyrannidem in subditos exercerent. Quamquam hujus systematis absurditas in omnium oculos insiliat; nihilominus haec formidabilis secta plures asseclas numerat in Gallia, Helvetia, Germania, Anglia, Italia, et America. Antonius Rosmini, et Augustus Sibour, Archiepiscopus Parisiensis, clare et solide principia *Socialistarum* et *Communistarum* non solum confutarunt, verum etiam systematis absurditatem demonstrarunt (*).

§. 3. *Rongiani seu Catholici Germani.*

Sic dicti *Radicales* in Germania tam clerici, quam laici, conabantur linguam latinam a cultu Religionis publico excludere, coeremonias diminuere et temporis genio accommodare, coelibatum Clericorum abolere, et Ecclesiam nationalem a Romana Sede independentem fundare. Vassenberg, Pflaux parochus, Fischer, Alexander Müller, Carovè, Fridolinus Huber, Reichlin-Meldegg, Schraiber, aliique, qui animo ab Ecclesia Catholica jam alieni erant, sed specialibus rationibus ducti eidem externe tantum adhaerebant, ore et calamo propagabant consilium de nova Ecclesia nationali fundanda, quod consilium potissimum in Ducatu Badensi, Regno Virtembergico, et Helvetia altas fixit radices, et per fratres Theiner etiam Silesiae incolis communicatum fuit. Hi externam praestolabantur occasionem se a communione Ecclesiae catholicae separan-

(*) Carlo Troja, Storia d'Italia del medio evo vol. 2, p. 1, L. 29, §. 17, Il Comunismo e Socialismo, Ragionamento dell' Abbate Rosmini-Serbati 1849; Sibour Lettera pastorale.

di, quam eis praebuit Joannes Ronge, dioecesis Vratislaviensis presbyter, solidae culturae et probitatis expers, inter fecundos calices doctus et disertus, epistola ad Arnoldi Archiepiscopum Trevirensem data, qua in peregrinationem susceptam ad venerandam divini Salvatoris tunicam in Ecclesia Trevirensi asservatam invehebatur, et ob quam perperam admonitus a Consistorio Vratislaviensi 2 Decembris 1844 fuit excommunicatus. Protestantes, lecta Joannis Ronge epistola, in publicis ephemeridibus contra Ecclesiam catholicam et peregrinationem insurrexerunt, Romanum Pontificem ceu conscientiae tyrannum, et Germaniae dedecus traduxerunt, Clerum catholicum diffamarunt, symbola fidei, formulam abjurandi haeresim impugnarunt, in odium Religionis catholicae innumera mendacia sparserunt, et cum clericos, tum laicos ad defectionem sollicitarunt. Joannes Ronge in superbiam elatus non dubitavit se nominare secundum Lutherum a Deo missum ad Ecclesiam reformandam. Alter Luciferi legatus initium reformationis fecit Vratislaviae, ubi Ecclesiam fundavit principiis rationalistarum superstructam ita, ut ipsi Protestantes sanioris mentis horrescerent; etenim docuit hominis rationem unicum esse fidei fontem, et ex septem Sacramentis Baptismum tantum et Eucharistiam retinuit. Huic reformatori adhaeserunt Radicales, et Clerici cupientes inire matrimonium et beneficia non amittere.

Eodem tempore Joannes Chzerski, Vicarius Ecclesiae parochialis Schneidemühldensis, qui contra coelibatum Clericorum scripserat, in magno Ducatu Posnaniae alium coadunavit coetum, et cum palinodiam canere detrectaret, ab Ordinariatu Posnaniensi anathemate fuit percussus. Ab initio Catholici Germani in duas classes dividebantur, nempe in illos qui Christum merum hominem, et Ecclesiam Germanicam Ecclesiam hominum sanae rationis praedicabant, quorum dux erat Joannes Ronge, et alios qui divinitatem Jesu Christi, et divinam Bibliorum originem profitebantur, ad quos Joannes Chzerski spectabat. In conciliabulo Lipsiae anno 1845 celebrato, cui praefuerunt Wigand et Robertus Blum, et interfuerunt, praeter Ronge et Chzerski, 27 legati ex variis Germaniae urbibus, Joannes Chzerski sequenti fidei symbolo subscripsit: « Credo in Deum Patrem, qui per omnipotens suum Verbum mundum creavit, et regit. Credo in Spiritum Sanctum, in unam sanctam universalem Ecclesiam, in veniam peccatorum, et vitam aeternam. » In hoc conciliabulo disputarunt de nomine sectae dando, de convocatione et directione conciliorum, de constitutione, juribus, officiis, cultu religionis externo, festis aliisque hujusmodi, et definiverunt Ecclesiam esse invisibilem,

amorem praecipuum dogma, fidem necessariam, progressum spiritus humani non impediendum, neminem aliter credentem damnandum, quemlibet cogitare posse quidquid ei libet. Sectam suam impudenter appellarunt *religionem catholicam Germaniae, Ecclesiam christianam, apostolicam, catholicam*, cum tamen, uti Ullmann protestans observavit, nonnisi nomen catholicorum retinuerint. Post conciliabulum Lipsiense Joannes Ronge sectam propagaturus, cum fratre suo et quodam Doviat, anno 1845 profectus est in regnum Virtembergense, Borussiam, Ducatum Badensem, et Helvetiam, quibus in regionibus praedicavit, Papatum et Sacerdotium subvertendum, reformationem a Luthero susceptam esse complendam. Non est opus dicere, quo gaudio perfusi *Radicales* novum reformatorem susceperint (*).

Regimen Borussicum ex rationibus haud laudabilibus hisce incredulitatis apostolis permisit, ut in toto regno Ecclesiam catholicam, ejusque instituta ore et calamo irriderent, catholicos presbyteros, ludimagistros et populum demagogicis declamationibus ad apostasiam sollicitarent; quale exemplum alia Germaniae regimina imitari non erubuerunt. Virus in Ecclesiam protestanticam penetravit ita, ut ipsi Protestantes confessi fuerint arborem novae sectae altiores egisse radices in Ecclesia protestantica, quam in Romana. Serius Regimina civilia animadverterunt, Rongianos principia Socialistarum et Communistarum profiteri, animumque in thronorum et altarium eversionem intendere. Ex Helvetia Joannes Ronge in Germaniam reversus est, et cum anno 1848 Francofordii ad Moenum vellet praedicare, dicteriis et morum dissolutione odium populi in se concitavit adeo, ut ei Ecclesia interdiceret. Nihilominus quatuor annorum spatio, praeter plures viros et mulieres, 40 Presbyteri germani ad ejus castra transierunt. Monachii principia Rongiana propagare studuit Fridericus Dumhof, prius praedicator veritatis Landhuti, dein Joannis Ronge assecla.

Ex Germania Joannes Ronge anno 1848, quo seditio erupit, venit Viennam, principem imperii austriaci urbem, ubi eidem socias manus praebuerunt Hermanus Pauli, cooperator in parochia suburbii Herdberg, et Joannes Hirschberger, alter dioecesis Viennensis presbyter. Hi tres zelo vere diabolico inflammati in plateis, compitis, diversoriis, et potissimum in *Odeon* theatrum praedicationis aperuerunt, ex fece hominum coetum collegerunt, et cultum suae religionis exer-

(*) Valtser: Libertas typographiae et censura etc. Ephemerides cathol. Tyrol. N. 15, 22, 45. An. 1845. Ephemerides Eccl. Labacenses N. 4, 6, 8, 11. An. 1848.

cuerunt, quo durante cuilibet tecto capite fumare licebat (*). Ad eorum sermones audiendos undique accurrebat multitudo Lutheranorum, presbyterorum suspensorum, poetarum democraticorum, philosophorum, clericorum sua sorte minime contentorum, hominum sensualium, mulierum vanarum et dissolutarum, qui et quae Joannem Ronge ceu prophetam venerabantur, ejusque capillos, fragmenta mensarum, ex quibus verba faciebat, et frustra vestimentorum reliquiarum instar servabant. Schuselka, populi legatus in comitiis Viennensibus, non erubuit in publicis ephemeridibus pestiferam sectam laudare. Pius IX, propagationis hujus sectae certior factus, die 31 Augusti 1848 litteris ad Vincentium Eduardum Milde Archiepiscopum Viennensem datis, huic Praelato impense commendavit, ut gregem suum a peste serpenti immunem custodiret.

Relictis Viennae Hermano Pauli et Joanne Hirschberger, Joannes Ronge in urbes et oppida vicina excursiones faciebat. Mense Octobri 1848 cum suo capellano Scholl petiit Graecium, qua in urbe affixit programma et incolis significavit, se die octava octobris praedicaturum esse. Cum vero nullus popinarius vellet in sua popina locum assignare, studentes Universitatis scholam equitatus eidem compararunt. Vigesima secunda ejusdem mensis prius Scholl, dein Ronge debacchati sunt in omnes veritates revelatas, dominium, avaritiam, et deceptionem Cleri; praedicarunt regnum lucis et concupiscentiae, asserentes se esse amicos populi; excitarunt cives ad excutiendum jugum Clericorum, et libertatem assequendam. Ex auditoribus 200 sectae nomen dederunt. Circa finem mensis octobris obtinuerunt licentiam praedicandi in diversorio, et novos asseclas nacti sunt. Ita factum, ut Graecii coetus Rongianorum coalesceret. Consistorium episcopale, editis litteris, studuit Clericos et laicos in fide confirmare, et a secta Rongianorum avertere. Negari haud potest, motus populares in Germania, Austria, et Styria, indulgentiam nonnullorum Regiminum civilium, deliria temporis, indifferentiam in materia Religionis hisce apostolis impietatis multum favisse. Postquam Vienna in potestatem imperatoris rediit, Regimen politicum Rongianis cultum religionis interdixit, et secta in Austria vix nata, mortua est. Vratislaviae coetus Rongianorum perdurat. Joannes Ronge, homo perditorum morum, nullibi amplius toleratus, cum scorto Londinum fugit, ubi, ut fertur, cum Ruge, Struwe, Ledru-Rollin, Mazzini, Cossut societatem iniit. Dicitur, quod Hermanus Pauli in fluvium se praecipitem dederit (*).

(*) *Nota*. Joannes Hirschberger poenitentia ductus anno 1849 castra Rongianorum deseruit, et ad Ecclesiam catholicam reversus est. (Theologische Zeitschrift num. 33).

§. 4. *Rongianorum placita.*

Rongianorum placita deprompta fuere Viennae in Austria ex sermonibus et scriptis Joannis Ronge, et Hermani Pauli, quae ad sequentia reducuntur: 1 Unus Deus existit; 2 Deus est anima mundi, cui quilibet homo propinquior est, quam spiritus homini; 3 Deus omnibus hominibus prope est; sed clerici ad marsupium implendum, auctoritatem sibi comparandam, et pondus dignitatis clericalis mostrandum mentiti sunt homines nonnisi per eos Deo appropinquare posse: unde originem traxerunt speciosi tituli: *sanctissimus, eminentissimus, perillustris, dignissimus*, et indignum indulgentiarum commercium, quo homicida pro octo florenis absolvebatur; 4 Trinitas non datur, quia unus est unus, et tres sunt tres: haec commenta antiquis temporibus sunt relinquenda; 5 Jesus Christus fuit homo praestans, prudens, eruditus, reformator, praedicator libertatis, aequalitatis, fraternitatis, qui studuit populum a jugo Sacerdotum judaicorum et onere coeremoniarum liberare, sicut catholici Germani conantur liberare homines a jugo Ecclesiae Romanae; 6 Diabolus, infernus, paradisus sunt fabulae; Angeli non dantur, neque boni, neque mali; 7 Quilibet infernum aut paradisum in semetipso habet, siquidem conscientia hominis mali est infernus, conscientia bona paradisus; 8 Quivis tenetur humanitate et amore paradisum in hac terra sibi comparare; 9 Adamus et Eva non fuerunt Protoparentes; 10 Peccatum originale est inventum; 11 Sacra Scriptura, in qua fabulae ridiculae, et antilegomena insolubilia reperiuntur, non est divinae originis; 12 Jesus Christus neque miracula patravit, neque resurrexit, neque in coelum ascendit; 13 Maria non fuit in coelum assumpta; 14 Traditio divina nulla datur; 15 Papatus, Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus sunt humanae inventiones; 16 Munera ad altare non sunt offerenda, quia Clerici pinguescunt, et hominum inopiam non sublevant; 17 Romana Ecclesia jactitat, se solam esse salvificam; jam vero soli 200,000,000 hominum ad eam spectant, et reliqui 800,000,000 deberent perire, quod falsum est: imo ex ipsa Ecclesia Romana pauci salvantur, cum illi qui annuam confessionem sacramentalem non peragunt sint excommunicati; teste vero experientia perplures adulti confessionem sacramentalem negligunt; 18 Propterea confessio

(*) Revue des deux Mondes; Köller et Klopsch Repertorium H. E. 1845, p. 35; Joannes Alzog Hist. Eccl. p. 1029-1034.

auricularis tanquam res inutilis et indigna est rejicienda; 19 Cultus sacrarum imaginum est actus idolatriae; quare debemus dicere: S. Francisce ora pro nobis? Forsitan indigemus interprete apud Deum? Quare statuas purpura et auro renidentes per vias publicas ferre? 20 Catholicismus Germanicus est religio rationis; hinc quidquid est contra rationem, tollendum; 21 Catholicismus Germanicus est vera religio, ad quam Gentiles, Judaei, Musulmani, Protestantes et Catholici sunt vocati; 22 Catholicismus Germanicus propagabitur, quia in veritate, amore, jure et officio fundatur (*).

§. 5. *Status Protestantium in Germania.*

Status religionis inter Lutheri et Calvini asseclas est deplorandus. Protestantes sibimetipsis relicti et spiritui privato inhaerentes Sacram Scripturam ad libitum interpretantur, omnia miracula naturaliter explicant, et novas sectas fundant. Eos inter, intuitu religionis, quot sunt capita, tot sunt sententiae. Vegscheider, David Schulz, Rohr, et Paulus, progenies scholae, quae *Rationalismus Communitatis* vocatur, dicunt se amicos Lucis esse, seque in fugam agere tenebras et tam doctos, quam indoctos ad suas partes pertrahere conantur. Rongianismus, qui rationalismo ita similis est sicut agnus agno, vel sicut ovum ovo, praecipua fuit causa quod plures nacti sint sectatores. Doctor Rupp Regiomontii, Uhlig Magdeburgi, Wislicenus Hallae, et Krause Vratislaviae praedicant rationalismum, et omnem lapidem movent, ut novas *Communitates Religiosas* fundent et non tantum symbola Lutheranorum et Calvinistarum, verum etiam omnes positivae Religionis reliquias abolere moliuntur. In Communitate Regiomontana a Doctore Rupp fundata per majoritatem votorum fuit decisum, formulam administrandi Baptismum esse rejiciendam, et sequentem substituendam: « Ego te baptizo in nomine Patris et Communitatis ». In memoriali libello haec leguntur: Ecclesia Protestantium cum suis symbolis et hierarchia conscientiam Communitatis opprimit, progressum rationis impedit, et religiosis indigentiis praesentis temporis non respondet; quam ob rem novam fundavimus Communitatem, quae hisce principiis innititur: 1 Doctrina Christi de natura divina et humana, nec non de operosa charitate est basis nostrae religiosae persuasionis, et supremum moralitatis principium; 2 Spiritus sanctus operatur in libera et bene ordinata constitutione presbyterali, in qua tota Communitas repraesentatur. Contra

(*) Ephemerides Cathol. Tyrol. num. 43, An. 1848. O'sterreichische Courier 17 Aug. 1848.

hos naturalistas calamum strinxerunt Pietistae, qui Berolini ediderunt Ephemerides Evangelico-ecclesiasticas ad confutanda eorum principia, et tuendas Religionis revelatae reliquias. Hi orthodoxam Martini Lutheri doctrinam defendunt, populum juxta mentem Speneri ad pietatem perducunt, omnes alios theologos lutheranos ab ipsis discrepantes haereseos arguunt, suspectos habent, et tanquam homines a christiana Religione alienos depingunt. In ultimo Concilio Berolini celebrato Patres congregati ad conservandam unitatem decreverunt, ut omnes sectae protestantium teneantur sequi Confessionem Augustanam, facta singulis facultate, speciatim circa decimum articulum, qui agit de reali praesentia Jesu Christi in Eucharistia, ad libitum sentiendi. Huic decreto se opposuerunt plures theologiae professores, qui demonstrarunt impossibile esse tot diversas confessiones ad unam redigere, et articulum decimum tot contradictorias interpretationes admittere. Ex his colligitur sectam a Pseudoreformatoribus fundatam esse dissolutioni proximam, juxta illud Christi effatum: « Regnum in se divisum desolabitur (*) ».

§. 6. *Magnetizantes.*

Auctor magnetismi animalis fuit Antonius Mesmer, medicus germanus, qui inde ab anno 1779 Viennae et in aliis Europae urbibus commenta suae phantasiae sparsit. Mesmer supposuit in natura humana existere fluidum animalem, qui de corpore in corpus, maxime viventium transit, ac semper inter dantem et recipientem se se librat, mirosque producit effectus, potissimum in foeminis atque infirmis. Operatio, qua fluidus de uno in alium communicatur, *magnetizare*, qui operatur, *magnetizans*, et qui fluidum recipit *magnetizatus* dicitur. Magnetizans figit oculos in magnetizandum, ejus digitorum extremitates tangit, manibus pluries tractat, contrectat, palpat, excutit, comprimit pectus, pedes, totumque corpus defricat, erga magnetizandum gestus omnes dirigit, signa fiduciae praebet, verbis animum commovere conatur. Hoc modo, ajunt, fluidus a magnetizante ad magnetizatum transit; quo facto magnetizatus incipit oscitari, dein huc, illucque caput declinat, postea tremit, demum somno devincitur, ac somnambulus evedit. In hoc statu praeterita, praesentia et futura, longe dissita, personas ignotas, morbos non solum proprii corporis internos, sed etiam infirmorum absentium, et quod remedium requiratur clare videt, cognoscit, intuetur, perspicit, explicat.

(*) Alzog II. E. p. 1048. Civiltà Cattolica num. 89.

Haec omnia magnetizatus perficit, quin videat oculis, audiat auribus, sed videt et audit per frontem, occiput, inferiorem ventris partem, ac digitorum extremitatem. Magnetizans vero actu suae voluntatis statui naturali restituit magnetizatum, qui nullius rei amplius recordatur. Fluidi animalis percipiendi non omnes sunt capaces; idcirco ad magnetizandum seligendi veniunt, qui sunt maxime sensibiles, uti mulieres, pueri, melanconici, hysterici, epileptici. Hisce mentis humanae deliriis fascinati quidam circulatores in Austria, Borussia, Italia, Forojulio, et potissimum in Gallia magno apparatu magnetizant, praelectiones de magnetismo animali habent, et mirabilia praedicant. Mirum, quod homines cetera utcumque culti, qui Prophetis et Christo non credunt, hisce deliriis fidem habeant. Scimus mulieres magnetizatas praescripsisse medicamina infirmis, quin horum conditio in melius fuerit mutata. Si vera essent, quae de magnetizatis narrantur, non foret amplius opus artis medicae peritis; et tamen ubique gentium reperiuntur fere plures medici, quam aegroti. Uti fertur nonnulli magnetizantes credunt animam hominis immortalem esse, sed existentiam bonorum et malorum spirituum negant. Praeterquam sit impostura, doctrina magnetizantium sub aspectu religioso nobis videtur Pantheismo proxima et valde periculosa; etenim si magnetizatus videt praeterita, praesentia, futura, longe dissita, interna praesentium et absentium, cognoscit personas ignotas, et scit quodnam remedium requiratur pro singulis infirmitatibus, omniscientia est proprietas naturae humanae, atque ita Prophetarum vaticinia et plura miracula tam Veteris, quam Novi Foederis naturaliter poterunt explicari; quibus fulcris submotis divinitas Religionis evanesceret (*).

§. 7. *Fratres Muratores.*

In Provincia Ticinensi anno 1850 detecta fuit secta Fratrum Muratorum, cujus scopus et placita adhuc ignorantur. Morbii captus et in vincula conjectus fuit quidam Josephus Romano, qui in vicino monte ex lignis tugurium exstruxerat, et in quo cum tribus mulieribus habitabat. Harum mulierum una erat juvenis Zanetti, quae anno 1848 domum paternam deseruerat, et in montes recesserat, probabiliter ut procul tumultibus vitam tranquillam duceret. Ex scriptis Josephi Romano potuit colligi, eum esse caput sectae religiosae, quia Dei vicarium in terris se nominabat. Ignoratur autem an ille sit sectae fundator, an alterius fundatoris successor, utrum demens sit, an dementiam simulet. Certum est, eum exiguae culturae hominem, ejusque doctrinam valde confusam esse. A suis asseclis exigebat absolutam propriae voluntatis abnegationem, et etiam propriae vitae sacrificium; praedicabat ex duodecim virginibus orituras esse duodecim stellas, seu duodecim Angelos, qui genus humanum regenerabunt. Fratres Muratores probabiliter dicti sunt, quia vinculo fraternitatis constricti inter muros cultum suae religionis exercebant (*a*).

(*) Philosophiae universae Institutiones a Josepho ab Alexandria propositae T. 2, p. 41, 45.

Nota. Geritiae 20 et 23 Julii 1854 quidam curiosus interfuit duobus experimentis, et quaesivit a puella 20 circiter annorum magnetizata, quae credebatur videre cogitationes, et internas infirmitates, ut sibi suas cogitationes, et morbos manifestaret. Prima vice dixit cogitationes, quas in mente non habebat, et morbos, quibus nec fuit unquam, nec est obnoxius, quapropter et magnetizata, et creduli fuerunt pudore suffusi; secunda vice puella indignata ad positas quaestiones respondere renuit: hinc curiosus recessit convictus esse imposturam.

§. 8. *Puseistae.*

In Anglia, ait Josephus de Maistre, degradatio Cleri ad culmen pervenit. Bona ecclesiastica evaserunt patrimonium filiorum minorum quarumdam familiarum, et divitum, qui in mundo cum mundanis laetantur, relicta mercenariis cura Deum laudandi . . . . . . Cum sacer character ex fronte horum ministrorum sit deletus, terrae principes in eis non vident nisi officiales civiles, qui ambulant sicut grex (*b*) ». Ex 10,818 beneficiis Rex vel Regina 952, privati homines 5096, Episcopi, Capitula, Universitates, Collegia 4600 conferunt. Nobiles beneficia conferunt nobilibus, alii suis consanguineis et affinibus, quin ad eorum qualitates intellectuales et morales respiciant. Quaedam beneficia a genitoribus ad genitos transeunt ita, ut una eademque familia reverendis et plurimum reverendis constet. Episcopi, Canonici, Parochi pinguia possident beneficia ecclesiastica. Episcopus minimum annua 200,000, Canonicus 20,000, Parochus 10,000 florenorum percipit (*c*). Hi pingues tauri habent quidem culturam intellectualem, sed profanam magis, quam sacram, et circulis potius, venationi, equitatui, itineribus, quam officiis ecclesiasticis vacant. Ex magnificis palatiis et rhedis deauratis ad pauperum tuguria haud descendunt. Miserorum et rudium curam non gerunt, et *Dissidentibus* objiciunt, quod ad talia loca se conferant, quae honestus homo frequentare non debet. Nihilominus praedicant, Christum non propter divites, sed propter pauperes in hunc mundum venisse.

(*a*) Ephemerides Helveticae.

(*b*) Josephus de Maistre du Pape L. 3, c. 3, §. 3.

(*c*) *Nota.* Clerus Anglicanus ab aerario regio quotannis percipit 236,439,125 libras sterlinas, reliquus Clerus christianus percipit tantum 224,975,000 libras sterlinas annuas; adeoque plus Clerus Anglicanus, quam reliquus Clerus consummit. (Cesare Cantù Storia dei 100 anni vol. 3, p. 200).

Cum sint matrimonio juncti quaerunt quae sunt mundi, quomodo placeant uxoribus, et divisi sunt. Habentes proles student thesaurizare super terram, et proprias ditare familias. Possunt ne oves diligere pastores, qui quae sua sunt, non quae Jesu Christi quaerunt? Quam ob rem jam anno 1729 Joannes et Carolus Vesley, quibus se adjunxit Georgius Vietfild, contra hos pingues et dissolutos tauros insurrexerunt, et rigidam vivendi rationem invexerunt, unde *Methodistae* dicti. Hi conabantur verbo et exemplo fidem et spiritum devotionis in populo excitare. Eundem scopum assequi sibi proposuerunt viri quidam docti et pii Universitatis Oxoniensis, qui reformationem Ecclesiae Anglicanae susceperunt ad evitanda, uti doctor Hook in publica concione edixit, duo extrema, nempe *Papismum*, et *Protestantismum.* Primipili hujus novae sectae sunt Eduardus Boverie Pusey, Canonicus Ecclesiae Jesu Christi, et professor linguae hebraicae in Universitate Oxoniensi, a quo praecipuo auctore asseclae *Puseistae* nominantur, et I. Henricus Newman, alterum Collegii Oxoniensis membrum. Eduardus Pusey cum Henrico Newman aliisque professoribus sibi adhaerentibus jam anno 1832 celebravit conventum, in quo sequentia statuta fuere; 1 Unicum salutis medium est Corporis et Sanguinis Jesu Christi participatio; 2 Medium a divino Salvatore institutum est Eucharistiae Sacramentum; 3 Pignus nobis datum verae et perseverantis administrationis Sacramenti est missio apostolica Episcoporum, et hisce subjectorum Ecclesiae Presbyterorum; 4 In praesenti Ecclesiae Anglicanae statu speciale periculum in eo est, quod hae veritates leviter negentur, quodque plures christiani sint incertae et arbitrariae communioni relicti, aut ad illam pertrahantur, quae de facto in apostasiam degenerat. Quapropter ad servandam vicissim canonicam obedientiam spondemus; 1 Nos velle in hominibus nostrae curae commissis conscientiam veritati consonam incomparabilis privilegii communionis cum Domino per successores Apostolorum obtenti corroborare, eisque persuadere, ut eam cum benedictione filiis suis instillent; 2 Libros ad id aptos comparare et propagare, aciem oculorum ad apostolicam missionem dirigere, explicare principia, quae in primitiva Ecclesia viguere, potissimum fructus uberes, quos charitas in primis christianis produxit, et exponere qua ratione in charitate uniti fuerint, atque pro veritate tormenta sustinuerint; 3 Membra Ecclesiae ad publicam et quotidianam orationem, et Sacramenti Eucharistiae receptionem excitare; 4 Resistere conatibus mutandi Liturgiam sine competenti auctoritate, id est quin prius super propositis mutationibus Ecclesiae consensus obtineatur; 5 Conservare cultum et disciplinam, nec non homines circa haec objecta instruere et illuminare.

Ab initio Puseistae Catholicis ceu abusus objiciebant, quod laicis denegent calicem, confessionem auricularem necessariam credant, intentionem in administratione Sacramentorum exigant, Transubstantiationem, Purgatorium, cultum sacrarum imaginum, Primatum Papae, coelibatum admittant, anathema haereticis dicant; tardius sequentem fidei formulam ediderunt; 1 Quilibet tenetur suum privatum judicium Ecclesiae judicio submittere; 2 Ad normam fidei cum Scriptura primitiva est conjungenda catholica traditio; 3 Ecclesia Anglicana habet successionem apostolicam, quae per ordinationem transfunditur; 4 Sola membra Cleri episcopalis, ceu ministri apostolicae successionis habent jus verbum Dei praedicandi, et Sacramenta administrandi; 5 Ecclesia Anglicana episcopalis est vera Ecclesia Apostolica; 6 Extra Ecclesiam episcopalem verbum divinum et Sacramenta carent virtute; 7 Ecclesia potestate gaudet res benedicendi; 8 Presbytero Ecclesiae in ministerio, oratione et absolutione debetur honos; 9 Sacramenta sunt media praecipua, efficacia et necessaria ad salutem; 10 In baptismate est spiritualis regeneratio, et accipitur Spiritus Sanctus; 11 Per baptismum homo justificatur; 12 Justificatio inhabitantem et attributam justitiam complectitur; 13 Sacramentum baptismatis hominem sanctificat; 14 Cum baptismate omnes benedictiones sunt conjunctae; 15 Eucharistia non solum est memoria mortis Christi, sed etiam vita animae; 16 In Eucharistia Corpus et Sanguis Christi est realiter praesens, sed non localiter, et ita praesens ut ejus vim et influxum possimus persentiscere; 17 Sacrificium Missae admittendum est ea conditione, ut memoriae, non utilitati inserviat; 18 Fides cuidam speciei ignis Purgatorii est habenda, sed non igni in quem Papismus credit; 19 Veneratio reliquiarum est probanda, sed Papistarum invocatio rejicienda; 20 Invocatio Sanctorum est permissa, sed non in sensu Papistarum; etenim Sancti possunt ceu intercessores, sed non qua datores invocari; 21 Certae formae et coeremoniae sunt considerandae tanquam media gratiae, et per consequens observandae; 22 Scriptura sacra magis mystice et allegorice, quam litteraliter interpretari debet.

Anglicani de unitate, apostolicitate et catholicitate Ecclesiae disseruerunt ita, ut has notas ceu criteria verae Ecclesiae agnoverint. « Necessitas, ait Episcopus Peerson, credendi in existentiam sanctae apostolicae Ecclesiae inde potissimum elucet, quod Christus Ecclesiam tanquam unicam viam ad aeternam salutem perveniendi indicaverit . . . . . . Christus non aperuit duas vias ad coelum, neque Ecclesiam fundavit ad portionem tantum hominum salvandam. Sub coelo non datur

aliud Nomen, in quo homines salvi fieri possint, praeter Nomen Jesu, et hoc Nomen sub coelo nullibi est datum, nisi in Ecclesia. Est necessarium credere in Ecclesiam Catholicam, quia si homo ad hanc Ecclesiam non spectat, ad nullam spectare potest. Ecclesia, quae aliud principium habet, non est Ecclesia » (*a*).

Apostolicitas Ecclesiae doctos viros in necessitatem traditionis traxit. Nihilominus Puseistae credunt solam Ecclesiam Anglicanam possidere puram doctrinam, esse apostolicam et catholicam. Zelo nationali inflammati non solum Papistas, verum etiam Protestantes impugnant. « Ecclesia Anglicana, inquiunt, neque libidini Henrici VIII, neque scepticismo ejus ministri Cromvell originem suam debet, sed est pars Ecclesiae Christi fundata auctoritate Romanorum Patriarcharum, sive virtute alterius independentis constitutionis. » De Protestantibus ita scribit Palmer, professor Historiae ecclesiasticae in Collegio S. Magdalenae Oxonii: » Sit anathema Protestantismo in omnibus suis formis, sectis et nominibus, potissimum autem Lutheranis et Calvinistis, Evangelicis et Anglicanis dissidentibus. Anathema illis, qui credunt nostram Ecclesiam Anglicanam cum hisce apostatis communicare. Si Ecclesia Anglicana aliquam Protestantismi formam unquam adoptaret, eam rejicerem, eidem maledicerem, et ab ea tanquam a secta humana me separarem ita, ut Protestantibus opus non esset me excommunicare. » Romana Ecclesia, scribebat Newman adhuc Puseista, theoretice soror et mater nostra est . . . . In ea quaedam capita sunt absolute bona, alia impura et maculata, alia corrupta, alia peccaminosa . . . . De toto autem Romanae Ecclesiae systemate ita se exprimit: « Papismus debet eradicari, quia nequit reformari. » Newman asserebat articulum 39 Ecclesiae Anglicanae cum dogmate Concilii Tridentini esse identicum, et qua principium interpretationis ejusdem articuli fidei Ecclesiae catholicae aequivalere (*b*). Juxta Newman articulus 19, qui dicit *Romanam Ecclesiam errasse*, non tuetur eam errori obnoxiam fuisse in fidei rebus, quae aeternam salutem periculo exponerent. Circa articulum 21 asserentem, Concilia generalia errare posse, et aliquando in rebus etiam divinis errasse, Newman observabat, Concilia quidem errare posse, sed in casibus specialibus a Deo dirigi, quod tamen demonstrari debet. Newman defendebat, articulum 11 de justificatione per fidem non excludere bona opera et merita, sed haec alio modo ad justificationem conferre. « Christus, ajebat,

(*a*) Zeitgemässen Abhandlungen; Scharpff Praelect. II. E. fasc. 2, p. 273, 279.
(*b*) Articulus 39 ita sonat: « Resurrectio mortuorum non est perfecta. » Perfecta resurrectio locum habebit in die judicii universalis.

est justificatio nostra catenus, quatenus per Spiritum Sanctum in nobis inhabitat. Ille justificat nos, quia in animam nostram intrat, in nobis manet, et nos ad justificationem perducit. » Newman exposuit etiam articulum 31: « Praeter reconciliationem per Sacrificium Christi in Cruce partam, non datur alia reconciliatio pro peccato. » Hic, scribebat Newman, non est sermo de Missae Sacrificio, sed de Missis privatis, quae sunt media pecuniam acquirendi. Episcopus Oxoniensis declaravit, doctrinam Doctoris Newman pacem et tranquillitatem Ecclesiae turbare; quapropter Newman duas suae doctrinae apologias edidit. Archiepiscopus vero Cantuariensis, cui etiam alii Episcopi accesserunt, Puseismum condemnavit. Newman beneficium resignavit, et Pusey munere docendi fuit privatus. Ast non fuit possibile evellere Puseismum, qui non solum altas egerat radices in cordibus plurium membrorum Universitatum Oxoniensis et Cantabrigensis, verum etiam longe lateque erat jam propagatus (*).

§. 9. *Doctrina Puseistarum.*

Ex operibus et Ephemeridibus Puseistarum sequentes articuli fuerunt desumpti 1 Puseistae admittunt Traditionem, Ecclesiam unam et visibilem, successionem apostolicam, et independentiam Ecclesiae a Civitate. 2 Profitentur doctrinam de justificatione per fidem et opera. 3 Credunt Sacramenta esse canales gratiae supernaturalis. 4 Fidem habent reali praesentiae Jesu Christi in Sacrificio quotidiano, quod considerant ceu medium merita Salvatoris animabus applicandi. 5 In usu habent confessionem auricularem, jejunia, et recessus spirituales. 6 Preces ad Deum fundunt pro defunctis. 7 Celebrant festa Sanctorum. 8 Docent communionem Sanctorum, eosque pro nobis apud Deum intercedere. 9 Signant se signo Crucis, et ponunt super altare Crucifixum, candelabra, et flores. 10 Recitant divinum officium. 11 Conantur monasteria utriusque sexus restituere. 12 Detestantur Protestantismum, reformatores, et sacrorum reformationem. 13 Cupiunt unionem cum Ecclesia Romana.

Ephemerides criticae, quae sunt Puseistarum organum, desiderium unionis cum Ecclesia Romana ita enuntiarunt: « Nos ad unionem cum Ecclesia Romana naturaliter inclinamus; etenim illa est mater et soror nostra primogenita in fide; Ecclesiae Romanae per Dei gratiam debemus, quod hodie sumus. In nostra spirituali infantia Ecclesia Romana nobis invigila-

(*) Scharpff Praelect. II. E. p. 277, 288.

bat, a qua violenter fuimus separati. Si in nostra esset potestate, libenter vellemus omne ingratitudinis vestigium delere, et cum ea circa puncta discrepantia convenire. Tunc nobis liceret restringere vincula, quibus vinciebamur cum Missionarii S. Gregorii M. avis nostris Sacramenta administrabant (*). Inde sat superque patet, varia capita doctrinae et desideria Puseistarum esse catholica; quare igitur ad sinum sanctae matris Ecclesiae non redeunt? Viri graves et docti opinantur, eos vinculis carnis et sanguinis retineri, eosque animo carere abjurandi errores, quos cum lacte materno suxerunt, quorumque sunt ministri et praedicatores, humanum contemnendi respectum, displicendi familiis, parentibus, uxoribus, consanguineis, affinibus, amicis obviam eundi persecutionibus, omittendi pinguia beneficia, quibus in Ecclesia Anglicana sunt provisi, et in miseriarum angustias incidendi. Nos nescimus, Deus scit, forsitan corde credunt ad justitiam, sed oris confessionem ad salutem differunt, ut Anglicanorum animos doctrina catholica sensim imbuant, et ad haeresim sponte ejurandam disponant; nam si omnes sectae primipili cum Ecclesia catholica unionem facerent, Puseismus opinione citius posset deleri, atque ita destrueretur pons ab ipsis extructus, per quem Angli ab errore ad veritatem transeunt.

§. 10. *Schisma in Ecclesia Anglicana Episcopali exortum.*

Anno 1847 inter Episcopum Oxoniensem et doctorem Gorham parochum eidem Episcopo subjectum ortum est grave dissidium circa essentialia religionis, quod temporis successu adeo crevit, ut in schisma degeneraret. Cum cuilibet dissidentium plures tam ex Clero, quam ex populo anglicano adhaererent, natae sunt duae factiones, quarum una ab Episcopo *Philippina*, altera a parocho Gorham *Gorhiana* dicta est. Doctor Gorham aperte negavit Sacramentum Baptismatis habere virtutem peccata remittendi, cui Philipps, ejus Episcopus, non solum se opposuit, sed etiam parochiam, ad quam nominatus erat, conferre recusavit. Gorham a sui Episcopi sententia ad privatum Reginae Consilium ex meris laicis compositum appellavit, a quo non tantum ab omni labe fuit purgatus, et ad praedicandam suam doctrinam confortatus, verum etiam beneficium obtinuit ab Episcopo denegatum, in cujus possessionem eum misit Aulae Praeses. Duo Archiepiscopi, nempe Cantuariensis, Ecclesiae Anglicanae Primas, et Eboracensis, Aulae assentatores, sententiam a tribunali laico in favorem Do-

(*) Britich Critic Octobr. 1842; Annales de l'Archiconfrérie VI Bollettin, Février 1847.

ctoris Gorham latam approbarunt. Episcoporum Anglicanorum alii timentes gratiam Aulicorum amittere siluerunt, alii Episcopi Oxoniensis vestigiis inhaerentes doctrinam Doctoris Gorham haeresim apertam nominarunt, et absurdam praesumptionem Regiminis politici credentis se habere jus doctrinam dogmaticam definiendi ore et calamo perstrinxerunt. Philipps, Episcopus Oxoniensis, pro die 29 Junii 1851 Synodum dioecesanam indixit, contra quam ex 32 Decanis duo tantum, Doctoris Gorham fautores, reclamarunt, asserentes convocationem esse illegitimam. In Synodo Clericis coadunatis cum ex decisionibus Conciliorum, tum ex SS. Patrum testimoniis Episcopus demonstravit, Baptisma habere virtutem peccata delendi, et declaravit Regimini politico nullum jus esse res dogmaticas decidendi, cui omnes assensum praebuere. Archiepiscopi Cantuariensis et Eboracensis, aegre ferentes propriam condemnationem, palam fecerunt: 1 Judicium a Consilio Reginae privato emissum esse sapiens, prudens, justum; 2 Reginam habere potestatem in res spirituales, et hunc articulum esse de fide; 3 Doctrinam Doctoris Gorham doctrinae Ecclesiae Anglicanae non esse contrariam. Huic Archiepiscorum declarationi sive ex reverentia, sive ex indifferentia subscripserunt 3262 ex Clero Anglicano. Episcopi vero, Presbyteri et Clerici Episcopo Oxoniensi adhaerentes et doctrinam doctoris Gorham damnantes anxie praestolabantur convocationem Synodorum, quas praefati Archiepiscopi quotannis mensibus Februario et Augusto celebrabant; ast Archiepiscopus Cantuariensis Synodum convocare detrectavit, et Archiepiscopus Eboracensis Synodum jam mense Februario convocatam ad mensem Augusti distulit; ita expectationem suorum adversariorum eluserunt. Inde liquido fluit, qua ratione in Ecclesia Anglicana depositum fidei custodiatur, Ecclesiam Episcopalem esse bifariam divisam, et quam facile cuilibet sit novam doctrinam in vulgus spargere, dummodo in Aula Reginae amicos et protectores habeat. Nec mirari oportet, quod etiam in Ecclesia Anglicana novae pullulent sectae, et homines omni vento doctrinae circumferantur; nam ubi nulla est auctoritas infallibilis, quae fidei quaestiones decidat et ad credendum proponat, fieri nequit ut unitas fidei et communionis servetur, haereses et schismata non oriantur (*).

(*) Clero Cattolico Anno III, num. 14.

§. 11. *Relatio Ecclesiae Anglicanae ad Ecclesiam Evangelicam in Borussia.*

Recentioribus temporibus Episcopi Anglicani, ut limites suae Ecclesiae dilatarent, cum Protestantibus Germanis tentamen unionis renovarunt. Protestantes in Palaestina degentes, obtenta facultate cultum suae religionis exercendi, societatem missionariorum pro convertendis Judaeis fundarunt. Guillelmus IV, Borussiae rex, per suum legatum Bunsen Anglis proposuit erectionem Episcopatus in urbe Hierosolymitana, ut Protestantes diversarum confessionum unirentur, et iisdem gauderent juribus, quibus gaudebant Catholici, Armeni, Graeci, aliique, spondens se medietatem sumptuum suppeditaturum. Huic regis Borussiae propositioni assensum praebuit Guillelmus Howley, Archiepiscopus Cantuariensis et Ecclesiae Anglicanae Primas, qui ad tranquillandos Anglorum animos circa scopum erectionis Episcopatus Hierosolymitani declaravit: 1 Fundatio Episcopatus Hierosolymitani debet esse via ad visibilem unionem Ecclesiae Anglicanae cum Ecclesiis Protestantium jam constitutis ita, ut ubique eadem sit doctrina, eademque disciplina; 2 Episcopatus debet Ecclesiam Anglicanam cum Ecclesia Orientali conjungere; sed oportebit sectas orientales (probabiliter Nestorianos et Monophysitas) ab erroribus aliisque defectibus purgare; 3 Ecclesia Orientalis debet fortificari contra Sedis Romanae aggressiones; 4 Ecclesia Hierosolymitana, Ecclesiae Anglicanae exemplar, oculos Judaeorum attrahet, eosque ad conversionem excitabit; 5 Reges Angliae et Borussiae alternative Episcopum Hierosolymitanum nominabunt; sed cum Rex Borussiae nominabit, Archiepiscopus Cantauriensis habebit jus nominatum excludendi si non fuerit persona grata; 6 Episcopus Hierosolymitanus erit Archiepiscopo Cantuariensi subjectus, quandiu ab Episcopis Angliae aliter non fuerit definitum; 7 Hierosolymis erigetur Collegium ad Judaeos, Drusos, Gentiles in doctrina Ecclesiae Anglicanae erudiendos: Clerici Graeci nonnisi cum licentia suorum Superiorum ad Collegium admitti poterunt; 8 Clerici Germani in germanicis communitatibus curam animarum exercebunt, postquam ab Episcopo, secundum Ecclesiae Anglicanae ritum, fuerint ordinati: ante ordinationem vero tenentur 39 articulos Ecclesiae Anglicanae subscribere, et Episcopo ordinanti scriptum dare testimonium, quod coram competente auctoritate promiserint, se Confessionem Augustanam observaturos esse; hi lingua vernacula peragent Liturgiam nationalem, quae in essentialibus cum Anglicana convenit; 9 Episcopus Hierosolymitanus confirmabit baptizatos se-

cundum formam Ecclesiae Anglicanae. Facta hac declaratione, quae Anglicanis placuit, et Protestantibus in Germania displicuit, Angli et Borussi Hierosolymis Episcopatum S. Jacobi erexerunt. Ab Archiepiscopo Cantuariensi ordinatus fuit Antistes Hierosolymitanus Doctor Alexander ex germanica familia israelitica oriundus, hebraicae et rabinicae litteraturae in Universitate Londinensi professor, qui anno 1842 cum uxore et prolibus Hierosolymam petiit. Erectio Episcopatus Hierosolymitani causa fuit, quod Anglicani cum Protestantibus Germaniae necessitudinem inierint. Angli acatholici eo conatus suos convertunt, ut Protestantes Ecclesiae Anglicanae accedant ad bellum contra Catholicos Romanos felicius gerendum; quem in finem Londini anno 1846 foedus evangelicum pactum est, cujus membra in Germania exemplaria Bibliorum propagant, et omnem lapidem movent, ut Protestantes ad Ecclesiam Anglicanam perducant (*a*).

§. 12. *Schisma in Ecclesia Orientali Ruthena.*

Exorta anno 1847 in Anglia inter doctorem Gorham et Episcopum Oxoniensem controversia de virtute Baptismi, nonnulli Protestantes litteras miserunt ad Patriarchas Constantinopolitanum et Hierosolymitanum schismati adhaerentes, ut in cognitionem venirent, quae Ecclesiae Graecae fides sit circa Baptismi valorem, in specie an Graeci solum Baptisma per immersionem collatum ceu validum admittant, aut credant quoque validum Baptisma per aspersionem, sicut Rutheni schismatici profitentur. Patriarchae, exquisitis praevie plurium Episcoporum Graeciae et imperii Turcarum consiliis, responderunt, se nullum aliud baptisma ceu validum admittere praeter baptisma per immersionem collatum, et aliter baptizatos, dum ad Ecclesiam veniunt, rebaptizandos esse. Alii Episcopi Graeci, quorum consilia Patriarchae non exquisierunt, manserunt medii, ac si de re incerta et indifferenti ageretur. Inde luculenter patet, Episcopos schismaticos Orientis in re essentiali ab Ecclesia Ruthena dissentire, siquidem Ecclesia Ruthena, etsi Baptismum per immersionem conferat, credit tamen in valorem Baptismi per aspersionem collati; Episcopi vero Orientis Baptismum per aspersionem collatum rejiciunt ceu invalidum, et exigunt ut baptizati per aspersionem rebaptizentur (*b*).

(*a*) Scharpff Prael. H. E. fasc. 2, p. 181-185.
(*b*) Clero Cattolico Anno III, N. 14.

CAPUT VII.

DE RITIBUS, MORIBUS ET DISCIPLINA ECCLESIAE JESU CHRISTI.

§. 1. *Ritus sacri.*

In ritibus sacris inde ab anno 1846 nulla facta fuit notabilis mutatio. Homines tristi experientia edocti, magis magisque recedunt a spiritu philosophico et irreligioso saeculi XVIII, quo animati nonnulli terrae principes sacras peregrinationes prohibuerunt, Sanctuaria aboleverunt, processiones limitarunt, Ordines Religiosos et Confraternitates sustulerunt, festa minui curarunt, pompam in Templorum ornamentis interdixerunt. In omnium oculos insiliit, pompam in cultu Religionis externo sensus fidelium bene afficere, fidem excitare, animos coelum versus attollere, corda movere, pietatem christianam fovere, reverentiam Dei et mysteriorum augere, mutuam charitatem alere, fideles ab infidelibus, catholicos ab acatholicis distinguere. Ubi ritus desunt, ibi fides arida est: idcirco vera semper manet S. Augustini sententia: « Ritus sunt populorum catechismus. »

In variis Galliae Ecclesiis erat Liturgia a Romana diversa. Jam Gregorius XVI, Pontifex Maximus, in epistola ad Archiepiscopum Rhemensem lamentabatur, in Gallia existere librorum liturgicorum diversitatem, quae animos fidelium poterat turbare, et Episcopis impense commendabat, ut Constitutiones S. Pii V observarent. Reapse Antistites Galli, voci Supremi Pastoris obsequentes, omnem lapidem moverunt, ut unitas Liturgiae ubique locorum introduceretur, quemadmodum patet ex litteris Pii IX ad Episcopum Trecensem datis, ubi ita scribit: « Summa laetitia perfusi ex tua epistola percepimus, Te omnem adhibuisse conatum, ut in tua dioecesi diversitas Liturgiae evanesceret, et ritus romanus introduceretur. »

Aloysius-Napoleon Bonaparte, Reipublicae Gallicanae Praeses, anno 1851 magnificum S. Genovefae templum, *Terroristarum* tempore in Pantheon conversum, quo exuviae Volteri, Roussovii, Victoris Mirabeau, Holbachii, aliorumque impiorum hominum fuerunt translatae, cultui Religionis catholicae restituit. In eadem Ecclesia Capitulum Canonicorum creavit et dotavit, ut sacris operetur, et curam animarum exerceat (*).

(*) Florilegio Cattolico-politico; Clero Cattolico Anno III, N. 22.

Nota. Aloysius-Napoleon effecit, ut Archiepiscopo Parisiensi loco 40,000: 50,000, quatuordecim Archiepiscopis loco 15,000: 20,000, et 65 Episcopis loco 10,000: 12,000 francorum assignarentur. Antistites in majoribus urbibus percipiunt supplementum extraordinarium 3000 francorum; Vicarii vero Generales supplementum 500 francorum habent. Praeterea plures animarum curatores a secunda ad primam classem transierunt, 15 Ecclesiae auxiliares ad gradum parochiarum secundae classis fuerunt elevatae, ac tandem 100 novae auxiliares erectae. Generatim Aloysius-Napoleon Gallos ab incredulitate ad verum Dei cultum revocare studet, Religionis catholicae ministros honore, reverentia, et favore prosequitur, Religionem Catholicam protegit, ac tuetur.

§. 2. *Festa.*

Uti praeterita Periodo observavimus, postulantibus terrae principibus, Benedictus XIV plura festa abolevit; sed in Helvetia manserunt intacta. Ad petitionem Regiminis politici Pius IX anno 1851 etiam in Helvetia sustulit festa Sanctorum Philippi et Jacobi, Joannis Baptistae, Michaelis, Joannis Evangelistae et nonnullorum patronorum, ac praecepit ut in qualibet Ecclesia festum unius tantum patroni celebretur. In Comitiis Parisiensibus Comes de Montalembert, insignis orator et Religionis catholicae patronus, conabatur populi legatos permovere, ut legem conderent, qua Gallis dierum festorum sanctificatio injungeretur. Tandem Regimen politicum diebus dominicis et festivis labores serviles interdixit sequenti decreto dd. 6 Jan. 1852: « Requies diei dominici est basis essentialis moralitatis, cui vis et solatium regionis innituntur. Misso etiam bono materiali, requies sanitati et culturae intellectuali operariorum est necessaria. Homo sine interruptione laborans, quin unam saltem diem institutioni et officiis religiosis consecret, pedetentim evadit carnalis, sensus propriae dignitatis deprimitur, et vires physicae conteruntur. Saepe evenit, ut qui die festivo laborare coguntur, alia die quiescent, atque, veneranda traditione contempta, in sanitatis et familiarum eversionem se in omnia flagitia ingurgitent. Regimen politicum non intendit in quaestionibus hujusmodi naturae civibus vim inferre, cum cuilibet integrum sit inspirationes propriae conscientiae sequi; nihilominus civitas, Ufficiales, municipia, Communitates exemplo praeeant, ut sancta praecepta ubique in honore habeantur, et observentur (*).

§. 3. *Mores Christianorum.*

Morum corruptela ex saeculo superiori in praesens transfusa ubique locorum perdurat, et magis aucta quam diminuta esse videtur. Ferreus egoismus, effraenis libertatis amor, aestuans voluptatum sensualium desiderium atque studium, superbia vitae, oculorum concupiscentia, omnis auctoritatis contemptus, indifferentia in materia Religionis et disciplinae

(*) Ami de la Religion.

ecclesiasticae sunt dominantia hujus aevi vitia. Plebs procul civitatibus habet vivam fidem, praecepta tam evangelica, quam ecclesiastica observat, in necessitatibus ad Deum omnium bonorum largitorem confugit; sed plures urbes, potissimum majores sunt irreligiositatis receptacula, vitiorum sentinae, sepulchra dealbata. In diversoriis et popinis, dum esuriales feriae et dies abstinentiae occurrunt, nonnisi cibi vetiti ponuntur. Nonnulli veritates revelatas cavillantur, leges divinas contemnunt, praecepta Ecclesiae parvi pendunt, secundum carnem vivunt, facti sunt sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, et viam latam, quae ad perditionem ducit, calcant. Defectum fidei, moralitatis, disciplinae domesticae, et subordinationis conantur eliminare per scholas populares; sed magistri, cetera immorales, ignorantes, venales, non possunt dare, quod non habent. Quam corrupti sint populorum mores ex eo potissimum eruitur, quod Episcopi totius Europae inde ab anno 1848 ad fideles suarum dioecesium litteras pastorales miserint, in quibus tetris coloribus depingunt fidei defectum, auctoritatis contemptum, vitiorum colluviem, eosque per viscera Jesu Christi exhortantur, ut ad bonam frugem redeant. Praecipuam hujus nunquam satis deplorandae morum corruptelae causam fuisse seditionem, quae anno 1848 erupit, nemo inficias ibit. Propter peccata veniunt adversa. Ab anno 1849 in Gallia, in Italia, in Forojulio, in Istria, in Dalmatia infirmata est vitis, luget vindemia, ingemunt omnes qui laetabantur corde . . . . . Clamor est super vino in plateis, deserta est omnis laetitia, translatum est omne gaudium terrae. (Isaiae cap. 24). Inde orta est fames. Animo non intendimus in morum corruptela, in vitiorum luto totam hominum massam involvere, quia mala bonis semper et ubique mixta fuere. Etiam aetas nostra non caret viris doctis, probis, piis, sanctis, qui zelo et charitate inflammati Religionem et Ecclesiam tuentur, virtutum exemplis illustrant, rudium, pauperum, infirmorum, senium, orphanorum, viduarum, spuriorum, derelictorum, surdo-mutorum, (*) aliorumque miserorum curam gerunt. Instituta pia in qualibet fere civitate erecta sat superque loquuntur, ignem charitatis christianae, quae est verae Religionis filia, et philantrophiae haud esse extinctum. Ad populum vera Religione imbuendum, ejusque mores emendandos praesertim in Gallia insudant celeberrimi oratores Lacordaire, Ravignan,

(*) Valentinus Staniz, Canonicus scholasticus Ecclesiae Metropolitanae Goritiensis, Goritiae anno 1839 fundamenta jecit Instituti Surdo-Mutorum, quod cura et solicitudine indefessi Joannis Bedeau Sacerdotis Goritiensis, et ejusdem Instituti Rectoris, atque piis hominum oblationibus ab anno 1850 adeo crevit, ut impraesentiarum 60 Surdo-Muti utriusque sexus ex provinciis Forojulii, et Istriae gratis alantur, et instituantur.

Leplace, Micheau, Bernard, Sainte-Croix, Brunet, P. Felix, Freppel, du Coeur, Bautin, David, et nunc etiam Ventura variae societates tam in Gallia, quam in Germania ad bonos libros propagandos institutae, et ephemerides catholicae. Ad morum emendationem multum etiam conferunt *scholae dominicales*, in quibus potissimum operarii in doctrina Religionis et pietate erudiuntur (*a*).

§. 4. *Congregatio S. Francisci a Regis. Institutum charitatis.*

Ad bonos vel malos mores spectant quoque Congregationes, Instituta, Sodalitates, Ordines religiosi, eorumque reformationes et fata. Congregatio S. Francisci a Regis (*b*) primum coaluit Lugduni in Gallia anno 1838, cujus scopus est pauperibus comparare media ineundi matrimonium, uxores et proles honeste sustentandi, ne frequentent lupanaria, vel turpem foveant consuetudinem, aut in concubinatu vivant, filios illegitimos procreent, immoralitatem et scandala serant atque propagent. Duodecim annorum spatio cura et sollicitudine hujus Congregationis inter pauperes Galliae plus quam 4000 matrimonia celebrata fuere. Anno 1849 inita fuere 429 matrimonia, et legitimati 146 liberi extra conjugium nati (*c*).

Josephus Cottolengo anno 1792 in Pedemontio natus, et absoluto studiorum curriculo Presbyter ordinatus, Augustae Taurinorum domum emit, quae in fronte titulum gerit: « Charitas Dei urget nos » pro excipiendis prolibus pauperum, ut in Religione et omni opificiorum genere instituantur. Ad hanc domum admittuntur quoque muti, coeci, hebetes, orphani, et poenitentes, unde merito domus appellata est *Encyclopedia beneficentiae*. Josephus Cottolengo direxit hanc domum, ejusque bonum promovit usque ad annum 1842, quo ad astra migravit, et eidem in directione successit Aloysius Anglesio, Theologus taurinensis, et Canonicus titularis Ecclesiae SS. Trinitati dedicatae (*d*).

§. 5. *Archisodalitas immaculati Cordis B. V. Mariae.*

Lutetiae in Ecclesia parochiali Deiparae a Victoriis dicata erecta fuit Archisodalitas ab immaculato Corde B. V. Mariae nuncupata, quae particulariter sanctum habet propositum sontes, Deo opitulante, a peccatorum semita in viam salutis

(*a*) Conférences de Paris.
(*b*) S. Franciscus a Regis obiit saec. XVII, et a Clemente XII Sanctorum numero fuit adscriptus.
(*c*) Courrier de Lyon.
(*d*) Clero Cattolico Anno III, N. 7.

reducendi. Gregorius XVI, Pontifex Maximus, animo reputans bona, quae ex ea in Ecclesiam Jesu Christi redundant, Brevi ad Dominum Dufriche-Desgenettes praefatae Ecclesiae parochum et Archisodalitatis directorem die 21 Nov. 1845 dato, non solum Archisodalitatem approbavit, verum etiam omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui, saltem contriti, officio sacri Cordis in praedicta Ecclesia Deiparae a Victoriis, vel in aliis quorumcumque locorum, ubi eadem Archisodalitas canonice instituta est, devote interfuerint, quingentos dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxavit. Membra hujus Archisodalitatis fervidas ad Deum fundunt preces speciatim pro Anglorum conversione (*a*).

§. 6. *Congregatio Fratrum charitatis. Congregatio institutionis christianae.*

Antonius Rosmini-Serbati, presbyter saecularis, homo pius et beneficus, insignis philosophus, et plurium operum auctor, Rovereti in Tyroli, ubi natus est, anno 1846 fundavit *Congregationem Fratrum charitatis* ita appellatam a charitate christiana, quam membra Congregationis exercere tenentur. Finis hujus Congregationis praecipuus est diebus dominicis et festivis populum, praesertim pauperes opifices doctrina Religionis catholicae imbuere. Haec Congregatio plures asseclas nacta est, et in variis Italiae urbibus fuit propagata. Veronae in parochia S. Zenonis majoris Fratres charitatis magnificum erexerunt aedificium copiosa bibliotheca instructum; sed anno 1850 Franciscus-Josephus, Austriae imperator, edito decreto hanc Congregationem Veronae fundatam suppressit.

Joannes-Maria de la Mennais anno 1851 in Gallia fundavit *Congregationem Fratrum institutionis christianae*, qui liberos pauperum parentum in rudimentis Religionis catholicae erudiunt. Pius IX, Pontifex Maximus, datis die 1 Februarii 1851 ad Fundatorem litteris, Congregationem approbavit (*b*).

§. 7. *Congregatio Oblatorum. Collegium Alberonianum.*

Congregatio Oblatorum, quae originem suam S. Carolo Borromeo debebat, fuit abolita a Napoleone M., et ejus bona in fiscum regium delata. Comes de Rumilli, Archiepiscopus Mediolanensis, anno 1848 sex superstites hujus Congregationis

(*a*) Annales de l'Archiconfrérie publiées par Mr. Dufriche-Desgenettes, Paris 1847.

(*b*) Clero Cattolico.

Religiosos Mediolani colligit, et eo adduxit ut ad tumulum sancti Fundatoris vota jam emissa renovarent, quo facto Archipraesul supplicem misit libellum ad Franciscum-Josephum, Austriae imperatorem, eumque enixe rogavit, ut redivivam Congregationem sua quoque auctoritate approbaret. Votis Archiepiscopi annuit Caesar, et 16 Dec. 1850 Congregatio Oblatorum Missionariorum a Ro et S. Sepulchro dicta vitam communem vivere coepit (*a*).

Penes Placentiam extat *Collegium Lazaristarum Alberonianum* a Cardinale Alberoni ministro hispanico fundatum, celebre cum ob temporales divitias, tum ob operam Religioni propagandae, litteris et scientiis datam. Sexaginta juvenes aluntur gratis, et studiis incumbunt sub directione Patrum Lazaristarum. In suspicionem adducti, quod Regimini politico sint infesti, anno 1850 Regnante Carolo II milites Collegium circumdederunt, armata manu intrarunt, omnia loca, sepulturis non exceptis, perlustrarunt, Vandalorum more muros Collegii destruxerunt, objecta pretiosa devastarunt, et Religiosos dispulerunt, qui coacti sunt terga dare et in Pedemontium se conferre. Contra hanc violentiam et injustitiam Patres, moerore confecti, publice reclamarunt, donec tandem, interveniente Summo Pontifice, anno 1852 Dux Parmensis Patres expulsos revocavit, eisdemque Collegium Alberonianum restituit cum facultate institutionem religiosam alumnorum dirigendi, et bona ad Collegium spectantia administrandi sub vigilantia et inspectione Antistitis Parmensis (*b*).

§. 8. *Aliae Sodalitates.*

Joannes Maria ex Tyroli, oriundus, et in Ecclesia parochiali Cremonae Cooperator anno 1849 in hac Urbe fundavit *Sodalitatem charitatis*, et erexit scholas, in quibus liberi pauperum parentum diversas artes et doctrinam Religionis discunt. Sunt circa 60 adolescentes, qui cura et sollicitudine pii Fundatoris sustentantur, et cum opificiis, tum fidei rudimentis instituuntur.

Post annum 1848 Viennae in Austria instituta fuit *Sodalitas S. Severini*, quem Austriae Apostolum ceu patronum veneratur. Haec Sodalitas per piorum librorum propagationem Religioni et moralitati consulere studet.

Graecii in Stiria extat *Sodalitas S. Josephi*, quae in Ecclesia Patrum Franciscanorum propriam habet capellam, et ex Patribus unus munere Capellani fungitur. Omni die domi-

(*a*) Clero Cattolico num. 3, 1851.

(*b*) Clero Cattolico num. 36, 1850; Clero Cattolico Anno III, num. 11.

nico et festivo, horis pomeridianis, Sodales congregantur in Capella, et Capellanus ad congregatos loquitur de mysteriis fidei, et virtutibus christianis. Finito sermone sanctissimum Altaris Sacramentum exponit, et post adorationem, preces ac cantica benedictionem impertit. Item Graecii alia datur *Sodalitas B. V. Mariae*, cui 800 mulieres diversae aetatis et conditionis sunt adscriptae, et cujus Capellanus est unus ex Patribus Franciscanis, qui diebus dominicis et festivis sermonem profert, et mulieribus coadunatis fidem, pietatem, et morum probitatem instillat. Scopus harum duarum Sodalitatum recentioribus temporibus fundatarum est bonum Religionis promovere.

Operae pretium etiam est mentionem facere *Sodalitatis temperantiae.* Vitium ebrietatis grassabatur inter incolas Hiberniae, et erat fere refrigerium in miseriis, quibus populus premebatur. Daniel O' Connel, legatus populi anno 1829 electus, a suis electoribus obtinuit, ut se omni potu crematorum abstinerent; unde inferre licet quanta polluerit eloquentia, et quo honore Hiberni catholici eum fuerint prosequuti. Ejus vestigiis insistens P. Mattheus, Franciscanus Hibernus, instituit Sodalitatem, cujus membra solemniter spondent, se velle cujuscumque cremati potatione abstinere. Ab anno 1838 usque ad annum 1842 quinquagies centena millia hominum partim in Hibernia, et partim in America degentium coram praefato Patre Mattheo votum temperantiae emiserunt; unde Pater Mattheus merito Apostolus temperantiae fuit appellatus. Hanc Soliditatem anno 1844 in Germania et Silesia propagavit Pater Brzozowski Ordinis Cappucinorum, natione Polonus. Brevi temporis spatio in solo districtu Oppelnensi 500,000 hominum voto temperantiae se adstrinxerunt. Sodalitas adhuc hodie progreditur, et nova membra acquirit (*).

§. 9. *Franciscani. Cappucini. Dominicani.*

Anno 1850 nonnulli S. Francisci filii, duce Patre Areso hispano, terrae sanctae Commissario, ex Palestina, ubi per sex saeculorum decursum pretio sudoris et sanguinis Religionem catholicam propagant et jura occidentis tuentur, in Galliam venerunt, ut Catholicos ad locorum sacrorum et Religionis Catholicae defensionem sollicitarent contra Graecos schismaticos, qui patrocinio imperatoris Russorum tecti jura Catholicorum usurpant, eosque vexant et persequuntur. Hac occasione persuaserunt Gallis, ut stipem largirentur, et Ordinem S. Francisci in

(*) Montalembert des intérets catholiques dans le siècle XIX p. 27.

Gallia restaurarent. Superatis obstaculis, quae bonis operibus ordinarie ponuntur, anno 1851 (Saint-Palais) excitarunt Monasterium, aedificarunt Ecclesiam, et magnum terrae tractum obtinuerunt. Ita Patres Observantes Galliae fuere restituti, unde juniores et aptiores in Terram Sanctam proficiscuntur, ut ibi curam animarum exerceant. Sultanus anno 1852 litem inter Latinos et Graecos, intuitu locorum sacrorum agitatam, sequenti modo decidit: 1 Catholici habeant claves Ecclesiae Bethlemiticae, et possint libere intrare et egredi sicut Graeci; 2 Graeci tenentur Latinis restituere hortos usurpatos, qui ad illam Ecclesiam spectant; 3 Latini habent jus consistendi tam in parte inferiori, quam superiori Ecclesiae S. Sepulchri Jerosolymis; 4 Monachis Latinis jus est eundi ad Sepulchrum B. V. Mariae in Valle Josaphat situm; 5 Catholici in locum stellae a Graecis ereptae aliam substituent; 6 Catholici jure potiuntur Ecclesiam penes Bethlehemum aedificandi, Religionem exercendi, Conventum penes S. Sepulchrum ampliandi, et Ecclesiam S. Salvatoris Hierosolymis restaurandi. (*a*) Anno 1852 Fratribus Minoribus de Observantia restitutus fuit antiquus Conventus S. Angeli Mediolani (*b*).

Patres Capucini Italiae superioris receperunt Monasterium S. Victoris ad Ulmum Mediolani, ex quo ab imperatore Napoleone pulsi fuerant. Comes de Rumilli, Archiepiscopus Mediolanensis, praemissa in Ecclesia sacra functione, eos solemniter in Claustrum introduxit. De consensu Municipii Mediolanensis, Archipraesul eis commisit, ut in Nosocomio majori infirmis Sacramenta administrent, et animam agentibus praesto sint auxilio spirituali. Cura et sollicitudine Archiepiscopi Parisiensis 2 Januarii 1852 Patres Capucini fuerunt introducti etiam in principem Galliae urbem; qua occasione celeberrimus Lacordaire pulchram habuit orationem (*c*).

In Gallia P. Henricus Lacordaire, S. Dominici assecla, restituit Conventus Praedicatorum, qui religiosam provinciam constituunt. P. Henricus Lacordaire, potestate extraordinaria a Sede Apostolica instructus, restauratos a se Conventus rexit usque ad annum 1850, quo jurisdictioni Ministri Generalis fuere subjecti: Pater vero Lacordaire Minister Provincialis omnium Dominicanorum in Gallia commorantium renuntiatus est.

(*a*) Univers.
(*b*) Clero Cattolico Anno III, num. 2.
(*c*) Clero Cattolico Anno III, num. 2.

§. 10. *Fata Societatis Jesu.*

Nullus Ordo Religiosus tot odiis, dicteriis, conviciis, calumniis, persecutionibus obnoxius fuit, sicut Societas Jesu. Joannes Palafox in Aragonia anno 1600 ortus, prius Episcopus in America, dein in Hispania, edito anno 1649 scripto, exemptiones et privilegia Societatis Jesu aggressus est, Jesuitas multis conviciis proscidit, eosque litteris ad Innocentium X datis variorum criminum insimulavit. Ejus vestigia persequens Blasius Pascal, Portus Regii scriptor, mathematicus, physicus, philosophus insignis, anno 1655 in suis litteris provincialibus (*) severae crisi subjecit opera moralia Jesuitarum, eorumque Casuistas, principia de restitutione et simonia, systema accommodationis, probabilismum, doctrinam de methodo dirigendae intentionis, de reservationibus mentalibus, de ambiguitate, de cultu Mariae impugnavit, et Jesuitas ceu juventutis corruptores traduxit. Saeculo XVIII odium in Jesuitas adeo crevit, ut ex Lusitania, Hispania, Gallia, regno Neapolitano, et Ducatu Parmensi pellerentur. Neque satis: anno 1773 Clemens XIV, urgentibus terrae principibus, post maturum examen edidit Bullam, qua Societatem Jesu in toto orbe catholico abolevit. Pius VII anno 1801 Societatem Jesu restituit, quae pedetentim antiqua monasteria recuperavit, nova excitavit, Novitiatus aperuit. Sub Francisco I, Austriae imperatore, Jesuitae reversi sunt Veronam, Venetias, OEnipontum, Lincium, Leopolim, Tarnopolim, Graecium. Contra crescentem Societatem recentioribus temporibus novae tempestates furere coeperunt. Eugenius Sue, natione gallus, librorum romanensium scriptor, anno 1845 typis mandavit librum, cui titulus: *Judaeus errans* (Le Juif errant), in quo Jesuitis horrida crimina affinxit, et sexcentis mendaciis demonstrare conatus est, eos bonis temporalibus inhiare, homines, nullo habito ad leges divinas et naturales respectu spoliare, voluptatibus sensualibus vacare, honorum culmina quaerere etc. Liber Eugenii Sue Societatem Jesu praesertim indoctis invisam reddidit. Acrius asperiusque S. Ignatii filios aggressus est Vincentius Gioberti, Presbyter Pedemontanus, philosophus, et variorum operum auctor. Is anno 1849 in lucem emisit Opus inscriptum: *Jesuita modernus*, in quo merita quidem Societatis Jesu non negat, sed multa eloquentia et eruditione ostendit, Jesuitas a sancti Fundatoris constitutione et spiritu recessisse, vitiisque superbiae, ambitionis, avaritiae, livoris, odii, invidiae, vindictae indulgere, falsa principia disseminare, Religioni Catholicae nocere plus quam ejus inimici; verbo Vincentius Gioberti in suo opere collegit et digessit quidquid alii Jesuitarum hostes scripserunt. Vincentii Gioberti opus merito ab Indicis Congregatione reprobatum tale conciliavit odium Jesuitis, ut exorta anno 1848 seditione sic dicti *Liberales* eos suis Asceteriis dispellerent, et hinc inde eorum Monasteria diriperent. Furente hac tempestate Jesuitarum alii ex Italia, Helvetia, Germania, Austria in Angliam et Americam fugerunt, alii vestem religiosam in saecularem commutarunt. Ast sedatis populorum tumultibus, Societas Jesu anno 1850 iterato restituta fuit in imperio austriaco, Ducatibus Parmensi et Mutinensi, Hetruria, territorio Summi Pontificis, et Regno Neapolitano. In Regno Neapolitano, annuente Rege, anno 1851 novum excitarunt Monasterium, in Collegio militari quatuor occuparunt cathedras, et Inspectores scholarum totius regni instituti sunt. Anno 1852 Regimen hispanicum Jesuitas dispersos invitavit, ut verbum Dei praedicarent, et populum ad bonam frugem perducerent; sed *Radicales*, timentes ne Societas Jesu in Hispania iterum radices figeret et propagaretur, in furorem acti eorum monasteria flammis dederunt. Franciscus Josephus, Austriae imperator, decreto dd. 15 Martii 1852 declaravit, legem die 7 Maji 1848 editam, qua Societas Jesu supprimebatur, ad Regnum Longobardiae et Venetiarum non extendi, adeoque Jesuitas omnia bona restituenda, et damna resarcienda esse. Jesuitae redierunt Venetias, Patavium, et anno 1851 etiam Mediolani Claustrum obtinuerunt. Eminentissimus Cardinalis Scitowsky, Hungariae Primas, Jesuitas accivit, eisque Gymnasia tradidit.

(*) Les provinciales, ou Lettres écrites par Louis de Montalt à un provincial de ses amis et aux RR. PP. Jésuites sur la morale et politique de ces Pères.

Anno 1853 Augustinus Theiner, natione germanus, presbyter Oratorii, Romae degens, accepta clavi Archivii Vaticani, ex tenebris eruit documenta, et germanico idiomate composuit Vitam Clementis XIV, in qua hunc Pontificem purgavit, atque demonstravit Christi Vicarium omnes Jesuitarum accusationes ad trutinam revocasse, post maturum examen per se Societatem Jesu abolevisse, eumque hujus abolitionis nunquam poenituisse, tranquillam vitam vixisse, et omnibus moribundorum Sacramentis provisum ad Superos evolasse. Theiner opus suum opposuit Crétineau-Joly, qui in libro inscripto: « Clemens XIV et Societas Jesu » famam Summi Pontificis laceravit, ut Societatem Jesu defenderet.

§. 11. *Sorores Charitatis.*

Dum antiqua foeminarum instituta decrescunt, Sorores Charitatis a S. Vincentio de Paula fundatae longe lateque pro-

pagantur. Experientia docuit, curae infirmorum haud melius prospici posse, quam tradendo Nosocomia Sororibus Charitatis, quae contemptis mundi deliciis, amore Dei et proximi, nec non spe meritorum pro futura vita cumulandorum ductae infirmis ministrant, vilissima negotia obeunt, vitamque periculis offerunt. Quam ob rem in Gallia fere omnia Nosocomia curae et solicitudini Sororum Charitatis commissa sunt; imo ab anno 1841 Regimen politicum inspectioni Sororum Charitatis etiam foeminas ad poenas carceris condemnatas tradidit (*a*). Anno 18•3 Franciscus Xaverius Luschin, Archiepiscopus Goritiensis et Illirii Metropolita, annuente Municipio, Sorores Charitatis ex provincia tyrolensi Goritiam vocavit, et Prochotrophium, in quo pauperes utriusque sexus tam sani, quam aegroti collecti sunt, eis curandum dedit. Anno vero 1853 idem Archipraesul cum Municipii consensu eis etiam curam Orphanotrophii Goritiensis commisit. Georgius Aulich, Archiepiscopus Zagabriensis, corporalibus et spiritualibus urbis emolumentis consulturus, pro aegrotis et religiosa sexus foeminei educatione, ex eadem provincia tyrolensi anno 1846 Sorores Charitatis accivit, et Zagabriam, principem Croatiae urbem, introduxit, quibus amplum Conventum cum Sacello publico a fundamentis excitavit, simulque pro intentione fundationem fecit. Quod pium opus ultra centum millia boni aeris requirebat (*b*). Antonius Aloysius Volf, Episcopus Labacensis, eas considere fecit Labaci, ut curam infirmorum habeant; sed nullum adhuc Nosocomium providendum susceperunt.

§. 12. *Disciplina Ecclesiae.*

Disciplinam Ecclesiae recentioribus temporibus fuisse labefactatam ex eo liquet, quod Archiepiscopi fere ubique locorum suos Suffraganeos ad Synodos provinciales convocaverint, in quibus inter cetera etiam de mediis disciplinam ecclesiasticam restaurandi cogitarunt. Sic Episcopi provinciae senensis mense Junio anno 1850 Senis congregati deliberarunt, disciplinam Cleri in vitam revocandam, huncque in finem Congregationes permanentes doctorum et proborum Clericorum instituendas esse. Circa publicam poenitentiam pro peccatis publicis imponendam, disciplina Concilii Tridentini perdurat. Quod ad Indulgentias attinet, Romani Pontifices thesaurum Ecclesiae dispensant. Sic Pius IX, edito anno 1851 Brevi, fratribus et sororibus Confraternitatis SS. Rosarii Indulgentiam plenariam concessit diebus festis Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Praesentationis et Assumptionis B. V. Mariae, item duobus diebus Veneris in Quadragesima ad libitum, diebus Paschatis et Pentecostes lucrandam, dummodo contriti, confessi et communicati devote aliquam Ecclesiam visitent a primis illius diei vesperis usque ad solis occasum, et secundum intentionem Summi Pontificis orent. Idem Pontifex Indulgentiam quoque decem annorum quotidie lucrandam largitus est confratribus et quibuscumque fidelibus, qui saltem corde contriti et congregati tertiam partem Rosarii recitaverint sive in domo, sive in Ecclesia, sive in Oratorio publico vel privato. Tandem fidelibus ad Confraternitatem non spectantibus concessit Indulgentiam plenariam ultima cujusvis mensis dominica lucrandam, dummodo tertiam partem Rosarii saltem ter in hebdomada recitent, et confessi atque communicati unam Ecclesiam, aut publicum Oratorium visitent. Praeterea ex concessione Pii IX fideles lucrantur Indulgentiam 50 dierum quoties recitant jaculatoriam familiarem S. Hieronymo Æmiliano: « Dulcissime Jesu, ne sis mihi judex, sed Salvator. »

(*a*) Alzog. H. E. p. 988.
(*b*) Franciscus Milasinoviç, Canonicus Zagabriensis, Carmen pastoritium.

§. 13. *Conclusio.*

Necesse est vela colligere, et in otii portum confugere. Scholae methodo insistentes divinam originem, mirabilem propagationem, fata adversa, Hierarchiam, Scriptores, immutabilem doctrinam, haereses et scissiones eidem oppositae, ritus, mores et disciplinam Ecclesiae christianae breviter delineavimus. Ex memorabilioribus Religionis et Ecclesiae Jesu Christi eventibus earum statum ab exordio ad nostram usque aetatem clare perspeximus. Vidimus qua ratione granum sinapis a divino Salvatore satum, coelesti rore et Martyrum sanguine irrigatum creverit in arborem, quae uberes producit fructus, et sua benefica umbra universum terrarum orbem tegit et refocillat. Vidimus Ecclesiae Catholicae certamina et victorias, dejectiones et triumphos, tenebras et corruscationes, maculas et nitorem, tristitiam et gaudium, dolorem et consolationem. Vidimus Ecclesiam Catholicam, tam infantem, quam adultam, tot potentissimorum et saevissimorum impetum sustinuisse atque superasse ita, ut dicere possit cum regio Psalte: « Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem: dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. » Furibundi Judaei et immanes idolorum cultores, philosophi gentiles, populi seductores, et imperatores romani, orbis terrarum Domini, ore et calamo, ferro et igne per tria saecula

in Christianos saevientes nascentem Ecclesiam extinguere non valuerunt: errores, haereses, schismata, quae non minus potentia, quam sapientia hujus saeculi suffulciebantur, veritatem catholicam eradicare non potuerunt: barbaries, ignorantia, abusus, fanaticus furor, superstitio, morum corruptela, quae nonnunquam longe lateque grassabantur, semen divinae sapientiae et sanctitatis in Ecclesia reconditum suffocare nequiverunt: Christiani degeneres, Athei, Deistae, Pantheistae, Pirronistae, Materialistae, qui divinam revelationem impugnarunt, singulas veritates et ritus risui et contemptui exposuerunt, Ecclesiam Catholicam non enecarunt. Ecclesia a Jesu Christo fundata haec omnia obstacula superavit, e tot pugnis semper victrix, e tot sordibus semper purior, e tot tenebris semper splendidior prodiit, et post 370 lustra in praeliis Domini transacta, venerabilem frontem nobilibus cicatricibus exornatam suis hostibus circa se tabescentibus et pereuntibus ostendit. Ecclesia Jesu Christi fuit et est semper tempestatibus exagitata adeo, ut adhuc hodie ei applicari possint verba, quae Judaei Romani Sancto Paulo dixerunt: « Rogamus autem a te audire, quae sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia ubique contradicitur. » (Act. 28, 22) Reapse ubique gentium ei contradicitur, etsi omnes ejus ope indigeant; etenim cum spiritus hominis sit pro veritate creatus, rugientibus etiam et debacchantibus indomitis animi cupiditatibus, ad veritatem debet pervenire, quia nonnisi in veritate potest quiescere. Ecclesia adversarios vincit, eorum tela retundit, impiam philosophiam debellat, de omnibus oppositionibus triumphat. Dum aliae sectae a terrae principibus protectae pace et tranquillitate fruuntur, vel in alias sectas dispescuntur, aut in putidum rationalismum delabuntur; Ecclesia Catholica continuis persecutionibus est obnoxia ita, ut ejus vita nihil aliud sit quam perpetua lucta partim cum adversariis, qui eam annihilare vel saltem sub jugum mittere moliuntur, partim cum reformatoribus, qui ejus bonum promovere mentiuntur. Ecclesia a suo divino Fundatore ad patiendum destinata, sine lamentis atras suorum inimicorum persecutiones perfert. Ea non ignorat verba Christi dicentis: « Si me persecuti sunt homines, et vos persequentur. In mundo pressuram habebitis, sed confidite; ego vici mundum. » (Joan. 16, 33) Ea non ignorat persecutiones purificare, fortificare, corroborare, fructum ferre. Ea non ignorat, se inter aerumnas, atrocissima tormenta, carceres, catenas, patibula crevisse. Tandem ea non ignorat praelium in triumphum mutatum iri. Quemadmodum blandus rivulus ex alta rupe fluens in alveo lapideo per anfractus et obstacula serpit, ac denique in mare demergitur: ita Ecclesia Jesu Christi in Cruce nata

inter persecutiones et fata adversa ambulat, bonum certamen certat, fidem servat, illuminat eos, qui in tenebris et umbra mortis sedent, dirigit eorum pedes in viam pacis, et cursum suum consummat. Mater libertatis et fraternitatis, vincula servitutis solvet, et omnes homines conjunget. « Inter persecutiones mundi, ait S. Augustinus, et consolationes Dei, peregrinando procurrit Ecclesia. » Cum hostis in arenam descendit, ut eam dejiciat, non ab hominibus, sed a Deo, qui ei semper praesto est, opem repetit, et in oratione solatium quaerit et invenit. Tempore tempestatum et certaminum prae oculis habet illud Augustini effatum: « Quid sibi plaudit iniquus, quia flagellum sibi fecit de illo pater meus? Illum assumit ad ministerium, me erudit ad patrimonium. » Pugnat de victoria certa adeo, ut cuilibet Ecclesiae catholicae hosti et persecutori dicere possimus id, quod Innocentius IV olim Friderico II imperatori scripsit:

> « Niteris in cassum navim submergere Petri,
> Fluctuat, at nunquam mergitur ista ratis. »

Haec, qualia in nullius alterius societatis historia occurrunt, evidenter demonstrant Salvatoris divini promissionem: « portae inferi non praevalebunt adversus eam » non fallere. Ecclesia Catholica non solum usque ad consummationem saeculorum perdurabit, verum etiam in diem magis magisque dilatabitur, donec omnes oves adducat, ut fiat unum ovile et unus Pastor. Igitur nos, qui in sortem Domini sumus vocati, depositum custodiamus, devitemus profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, vigilemus, in omnibus laboremus, opus faciamus Evangelistae, ministerium nostrum impleamus, praedicemus verbum, instemus opportune, importune, arguamus, obsecremus, increpemus in omni patientia et doctrina, in omnibus nosmetipsos praebeamus exemplum bonorum operum in doctrina, integritate, et gravitate, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Itaque sic luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est. (I. Tim. 5; II. Tim. 4; Tit. II; Math. 5, 16).



INDEX

PERIODUS SEXTA

CAPUT I.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CATHOLICAE.

CAPUT II.

FATA ADVERSA RELIGIONI CATHOLICAE.

CAPUT III.

DE ECCLESIAE GUBERNATIONE ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS ET SCHISMATIBUS.

CAPUT VII.

DE RITIBUS, MORIBUS ET DISCIPLINA ECCLESIAE JESU CHRISTI.

NIHIL OBSTAT

Fr. Antonius M. ab Arignano Theologus Deputatus.

NIHIL OBSTAT

Fr. Antonius M. de Castro-Madama Ord. Min. Observ. Censor. Theol. Deputatus.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Fr. Ant. Ligi Archiep. Iconii Vicesg.